ANTONII CORIOLANI

DE

RERUMPUBLICARUM

NEXIBUS

MEDITATIONES.

NEAPOLI.
MDCCLXXXI.
Ex Typographia Raymundiana
Superiorum Permissu.

. . communibus inter se radicibus haerent.

Lucr. Lib. III. v. 326.

AUCTORIS

DEDICATIO.

CUM aliquas de Rerumpublicarum Nexibus meditationes habuerim, eas ut in lucem cito ederem, vehementer nonnulli efflagitarunt. Nos, qui numquam justis petitionibus difficiles fuimus, quamvis nec justum id esset, ut publice efferrentur, tamen, quia αδιαφορον hoc videbatur, illud facere aggressi sumus. Emittimus igitur illas, & emittimus illo tantum ornatu, qui ex re ipsa venit, haud de alieno solliciti. Fuere enim, qui cum aliquid in dias auras proferrent, id sub alicujus tutela ponerent. Boni sane viri, qui ut in reliquis, ita in litteris aliorum nomina posse credunt! Nos bene an

ma-

male illud sit, non quaerimus: qui haec faciunt, ipsi sibi bonum ominentur. Meis satis sit pagellis, uno ingenuitatis titulo, doctissimorum limina ingredi: hac fronte, bonam cum omnibus gratiam inituras esse confido. Ne vero Viris amicis, Viris eruditis, deque re litterarum publica maxime benemeritis, vel quod minimum videri possit officium denegetur (debui sane & illis quantum ipsi mihi tribuerunt, tribuerunt autem quantum in vita jucundius haberi potest) illis Opellam hanc tribuo, nostri haec illis prima molimina dono. Vos, Viri praestantissimi, veritatis Viri amatores, quo animo, quave benevolentia non malae frugis homines prosequendos semper putastis, meos hosce non increpandos labores excipiatis; ac sustinete, ut, quantum de me polliceri possum, tantum nunc Vobis reverentiae praebeam argumentum. VI. *Non. Jul. MDCCLXXXI. Neapoli.*

DE

QUamquam & multos id praestitisse, quod nos aggredimur, & evulgatum nimis esse de Republica argumentum, sat notum est; tamen illud efficere, ita animum induximus, ut posthabitis disputationibus, quarum crebra fuit titillatio apud scriptores, de rerumpublicarum compage, ac de ipsarum potius incrementis non prolixiores ageremus. Hujus sane doctrinae duo magis peculiaria nobis esse videntur, quam citissime animos erudire, atque ad recte vivendum, per socialem primi aevi formam, exemplo componere: in quorum observantia maximam vitae felicitatem inesse putamus. Nam si prodesse videtur, sui quemque ipsius notitiam habere, tunc maxime ita fiet, cum statum hujus societatis veluti a summo vertice discutientibus, quidquid ad propriam tuitionem selegerint homines constabit. Scite namque Macrobius: *homini una est agnitio sui, si originis natalisque principia atque exordia prima respexerit* (a). Tunc variarum nascentium tempestatum vices quid hominibus attulerint, quidque ab ipsis exegerint, patefiet.

(a) In Somn. Scip. lib. I. Cap. IX.

Et si verum est, quod pro rerum necessitate, acuitur ingenium; initio, cum plurima illa fuerit, plurimum illud pariter viguisse, consequitur. Cum homo, qui ceteris praestat ratione animantibus, ac statim ad ea, quae sibi opus esse cognoscit, animum intendit, non tam ab ipsa natura ad bonum sit institutus, quam ad majus bonum se convertit: quod semper spectare deberet, ne inanis gloriae honorem pateretur; cum rationis praestantia inter cetera emineret, usu vero, vel potius abusu, omnibus sequior fieret. Idcirco, optime primis temporibus, cum prope vagientis pueri similes Reipublicae partes fuerint, quomodo se gesserit Respublica, atque in tanta inopia rerum, quid illi parens natura praestiterit, perquirendum erit. Et hac re non male factum putavi, omnem, quae devenire inde posset, utilitatem, vel illorum temporum facta meditando, vel historias perlegendo, omnino hauriendam esse.

Verum, cum late paterent ea, quae a majoribus de Republica tradita sunt, ac latissime hujus rei fines sese protenderint, animis pene cadebam, cum admodum difficile videretur, ad integram hujus rei notitiam acquirendam, tot

pos-

posse evolvere volumina, quot de hoc argumento scripta sese mihi tradebant. Sed aliter evenit: nam in sententia firmiores, idque assecuti sumus, aliudque praeterea pertentare ausi sumus, ut de quo magis delectaremur, verba faceremus.

Quare in arenam descendimus, ea certaturi hilaritate, ut cum prope virium defectu succumbendum sit, animi praesentia victoriam tulisse videamur. Sic autem agemus, ut quidquid in hoc opere nimium quantum esse posset, vel quia jam notum, vel quia silentio magis, quam verbis tractandum, id eorum, qui haec legerint, judicio relinquatur. Quippe erat cur brevitati consulerem: neque enim ad majora tempus suppetebat; neque, si fecissem, nostris moribus obsequutus essem. Sed tamen, quamvis brevitati studentes, illam elegimus, quae nobis opportuna, ceterisque laudabilior esset futura. Sicque, cum de reipublicae nexibus differere voluissem, ante omnia sermonem habere instituî de statu mero naturali, quem distinximus ab illo secundario laxiori, quando in eo paulisper spatiamur: deinde ad statum societatis, vel sit familiae, vel jam civitatis progredimur; ubi pro re nata,

& summo digito jura majestatis attingimus. In quo faciundo, nec mihi quidquam culpae vertendum est. Neque enim me ceteris viris doctioribus immiscere, neque plene de Republica negotium capessere mihi in animo fuit, quoties de nonnullis ad id pertinentibus, ab ipsis summis viris habitis, cum scriberem, cultor ipsorum potius, quam novorum auctor esse viderer.

DE

DE RERUMPUBLICARUM NEXIBUS.

Caput I.

De mero statu Naturae.

Quandoquidem ab ipsis rerum incunabulis nobis exordiri proposuimus, quod maxime urget, status nempe hominum, qui in principio fuerit, quales dein progressus habuerit, ante omnia expendendum. Nulla enim rerum cognitio datur sine eorum intelligentia, quae ad caetera pervestiganda, lucis vice funguntur. Status vel γενικῶς sumitur, vel ad hominis conditionem refertur. Prior est, *qualitas per quam res unaquae-*

que limitatur (*a*) . cum vero quoad homines illum considerāmus, majori distinctione opus est, nam duae species assurgunt , quarum una statum hominis naturalem sequitur , statum adventitium altera . Status naturalis , est *conditio* , *homini ab ipsa natura* , *sine facto ejus imposita* (*b*) : adventitius, quem quisque sibi comparat proprio delectu , qui est status societatis (*c*) .

Primus igitur hominis status , ille naturalis est , in quo positum a summo Opifice hominem considerare debemus. Hic instituti ratio expostulat, ut de illis prioribus factis paullo distinctius agatur. Primus, inquam, ille fuit status omnium hominum, illa prima forma vivendi . Qui tunc temporis id genus vitae experti sunt , si qui fuere , sane ob nullius mali , ac majoris potentiae formidinem , tuto , aequo jure, vivebant . Hinc Ulpianus: *quod ad jus naturale attinet omnes homines aequales sunt* (*d*) . Vivebant sane, at non consociatim inter se : al-

(a) Heinec. J. N. & G. Lib. II. Cap. I. §. 2.
(b) Dict. Heinec. ibid. §.3.
(c) Vid. Burlamaqui Elémens du Droit Naturel I. Partie, Chap. II.
(d) L. 32. ff. de R. J.

alter de altero nesciebat: non animi consilia patefaciebant: non aliorum lumina quaerebant, (cum nec qua ratione id obtineri posset, satis admodum viderent); sed tantum, quae ad vitam simplicissimam necessaria forent, ipsi parabant. Sic vita erat: quae quamvis primo intuitu animos alliciat, ac si fieri posset, ad innoxium illud genus vitae experiundum trahat, consideratione tamen, cum omnibus adminiculis destitutam inveneris, & in societatis negotio praecipue mancam, non tanti faciundam, quin potius ipsi brutorum vitae postponendam censeres. Meminisse oportet, loqui tantum hic de statu mere naturali, ubi hominem, omni humano auxilio destitutum, ac solum repraesentamus; ita ut, si plures esse voluerimus, seorsum omnes, ut fera animalia, aevum duxisse, credendum. Diximus ejusmodi vitam, illi brutorum posthabendam esse, quia haec convivere quodammodo videmus, & unum alteri opem ferre, & quandam inire speciem societatis, ut feliciora, si brutis umquam felicitas inesse potest, evadant: conjunctionem cupiunt, foetus ale-

re curant, & demum, nulla quamvis ratione praedita, ea omnia facere experimur, quae ad majus commodum sunt ordinata. Si vero haec faciunt, non dicendum ratione fera animalia decorari, sed instinctu naturali tantum; ita ut quae non ipsa laedunt amplectantur, cetera aversentur (1). Nec in contrarium ducant a tot viris allata exempla, ut illud ex Aristotele desumptum, de camelo quodam, *qui a proriga cum fuisset deceptus, ut cum matre corpus misceret, delapso operimento, & agnita matre, quamvis coitum absolverit, sciens tamen sceleris, mordicus prorigam interemerit* (a). Nam codices Aristotelii haud habent, *sciens tamen sceleris*, quod ab interprete hic falso ascribitur; cum tantum dicant: ὡς δε ὀχευσαντος απεπεσε, τοτε μεν απετελεσε την συνουσιαν. μικρον δε ὑστερον δακων τον καμηλιτην απεκτεινε. Unde nec illud, *agnita matre* in Aristotelis verbis iness-

(a) Hist. Anim. Lib. IX. Cap. XLVII.

(1) Thomas Hobbesius, & Nicolaus Machiavellius contra existimarunt; & quod impudentiae postremum est, illud etiam asserere non dubitarunt, belluarum vitam ceteris praestantiorem, omnibus anteponendam esse. Thomas Hobbesius & Nicolaus Machiavellius, hoc merito nomine, omnium exsecrationes assequuntur.

inesse videmus. At saepe in eodem Auctore vere ea inveniuntur, quae hoc demonstrare videntur; ut de elephante scriptum est (*a*), & de equo est alia narratio, qui suam insciens matrem pressit, quique postea, cum eam agnovisset, se fugae sic praecipitem dedit, ut mortem ex eo sibi comparaverit (*b*). Id vero quomodo ex concubitus recusatione factum dicemus, cum potius nimia quadam corporis exsultatione ita accidisse videatur. Hoc enim equorum generi evenire solet, ut nullis quamvis calcaribus, maximam saepe fugam arripiant, unde mortem illos etiam oppetere non raro acciderit. Nec antea quod recusarit, ut inquit Aristoteles, quidquam est, ut matris copulae illum repugnantem credamus. Nescimus causam, qua illud antea noluerit. Forsan tunc minus ad id operis corpore pronus erat. Sed hujus rei ratio in ipsa brutorum natura potius quaerenda est, quae prout sanguine redundant, sic volunt, aut nolunt. Quam nos fera inter animalia concubitus promiscuos semper extitisse novimus?

(a) Arist. ibid. Cap. XLVI.
(b) Id. Cap. XLVII.

mus? Quare nec erit, ut inter praevisa, ac ratione cognita factum hocce referatur. Verum, & ipse Aristoteles docuit homines tantum esse, quos solum ex proposito agere, dicendum sit, neque ad alios animantes illud convenire: "ουτε γαρ αψυχων ουθεν λεγομεν πραττειν, ουτε των εμψυχων εξω ανθρωπων. *Neque enim inanimatum ullum agere dicimus: neque etiam animatum, praeter hominem (a)*. Et alibi; τουτο γαρ προς τα αλλα ζωα τοις ανθρωποις ιδιον, το μονον αγαθου και κακου, και δικαιου και αδικου, και των αλλων αισθησιν εχειν. *Hoc enim praeter caeteras animanteis hominis est proprium, ut solus boni & mali, justi & injusti, & aliorum similium sensum habeat (b)*. Quomodo nunc igitur ita de brutis animalibus testatur? Quod in Levitico dicitur: *Qui cum jumento & pecore cojerit, morte moriatur: pecus quoque occidite. Mulier quae succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo (c)*, nil probat, ut quasi sibi consciae crimi-

(a) Magn. Mor. Lib. I. Cap. XII.
(b) De Rep. Lib. I. Cap. XII.
(c) Lev. Cap. XX. v. 15. & 16.

minis bestiae dent meritas poenas: in odium quippe humani sceleris, ne qua in posterum facti memoria remaneret, statuit summus Auctor, ut cum homine bestiam pariter interficerent. Ea enim vel corrupta, vel male interpretata sunt loca, quae huic sententiae adversantur. Quare illae locutiones: animalium societas, providentia, ratiocinatio, fidelitas ita accipiendae, ut ἀλληγορικῶς, & quadam ratione exprimendae similitudinis illarum actionum cum nostris adhibitae videantur. Nam, ut ait vir quidam eruditissimus: *quamvis de futurorum providentia in nonnullis exempla inveniamus, ut in ciconia, sciuris, formicis; haec tamen fiunt ab his simplici naturae instinctu, nullo λογισμῷ.*

Et in hoc, subirascimur, admodum omnium fere Scriptorum voces concordes esse, qui, nescio quo fato, quod natura omnino belluis denegavit, ipsis attribuunt. Sic Pufendorfius (*a*) nimium pro belluis pugnare videtur, dum dicit, corpore illas uti tantum ad generationem, ultra non progredi. Homines vero & ad generationem, & ad

(a) J. N. & G. Lib. II. Cap. I. §. VI.

ad libidinem se exercere. Et parum abfuit, quin ratione bruta nobis essent praeferenda. Id Pufendorfius comprobat calculo cum multorum, tum Oppiani (a), ajentis: ου γαρ τοι θηρεσσι νομος, γαστηρ ὅτε πληθει, Εις λεχος ερχομενοις τελεειν φιλοτησιον εργον: *non enim feris est consuetudo, venter cum plenus est cubile ineuntibus, perficere venereum opus*. At viri philosophi, dum majora agebant, haec tamquam minima sprevere, nec meditatione digna satis existimarunt. Quid, quod animalia rarius quam homines copulantur, non eo modo, non illis temporibus; ea forsan ex hoc, potiori ratione esse dotata, quam nos sumus, meliori uti forma ratiocinationis erit existimandum? Quaeso, ne tam praecipites in decernendo videamur. Bruta una corporis lege miscentur. Quod vero serius, neque certis modis, quibus melius id patrare possent, agunt, ex rationis defectu, ac mentis caecitate evenit, minime ex moderatione, ac facti conscientia, usuque rationis. Homines autem, si crebro id faciunt, si procliviores post prandium cevent, si uno

(a) Cyneg. Lib. III.

uno ſatius modo, quam alio, hoc ad nimium mentis, rationiſque acumen erit referendum, quo *audax Japeti genus* omnia ad libidinem experiri non dubitavit. Quare, viri docti ſic alucinati ſunt, ut, quod fera animalia rationis inopia agunt, homines vero ejuſdem rationis abuſu, inverterent, ac peſſimum inde vitae noſtrae figmentum conſtituerint (1).

Sed quoniam huc ſermo incidit, non pigeat examinare locum, quem, ut ad propoſitum accedere videmus, ſic etiam hic locare, viſum eſt. Locus eſt libri cujuſdam recens editi, cui titulus, *Eſame analitico del ſiſtema legale* (2) atque ita

(1) Samuel Pufendorfius cum neceſſitatem condendi leges oſtenderet ad mores hominum compeſcendos, tantum beluis tribuit, quantum illas hominibus crediderit moderatiores. Et quamvis id fiat alio argumento, noſcitur tamen illud e veſtigio a ſua oratione: quamobrem & nos ea hic appoſuimus; tum etiam quod jam obtinuit, ut multorum inter exemplaria talis videretur opinio, unde rationem nonnullos elicere, beluiſque illam aſcribere, non ſemel ſumus demirati.

(2) Non negamus, auctorem miro artificio hunc librum ſcripſiſſe, ac difficiliori μεϑοδῳ faciliorem *rei legalis* explicandae rationem inveniſſe. Illud etiam non praetermittimus, quod, demptis tot pene laſciventis linguae inutilibus phaleris, humanior tractatio, neque tanto volumine digna umquam extitiſſet.

ita se habet: *I volatili, i rettili, i quadrupedi convivono per necessità. Gli uomini convivono per elezione; e chiunque ha voluto ripetere l'umano consorzio dall'istinto delle api, delle formiche, dei castori, ha con assurda inversion di termini confusi gli atti necessarj cogli atti facoltativi* (a). Nos primum de positionibus hujus loci videamus, deinde de totius sententiae veritate. Et illud primo in eo offendimus, quod auctor socialem vitam belluis omnibus tribuerit, atque ita, ut omnibus numeris eam absolutam crediderit, uti liquet vel ex ipsa vocabuli specie, *convivere*, qua usus est; quod non recte dictum. Non enim si quaedam animalia sunt ad formam societatis congregata, ut apes, idque genus alia; caetera, quae in omnibus naturam ferinam retinent, idem obtinuisse dicendum. Caeterum, & si ejusmodi vitam illis concedimus, non video, quomodo ad hoc necessitate ferantur, cum ea omnia natura eis tribuerit, quae si deficerent, credi posset, ad aliquod hujusmodi devenire. Plumis, seu pilis jam corpora eorum defenduntur: nascentes stare, at-

(a) Lib. III. Cap. III. art. I. §. 2.

atque ire videmus. Quare ex his nulla assurgit causa, quae necessitatem ad socialiter vivendum inferat. At dicetur, ne volatilium genus a vulturibus minuatur, omnino ad id faciundum astringitur, quod & cetera animalia, ad ea mala vitanda, facere oportet. Et faciunt? & quidnam proficerent si facerent? Alii judicent de hoc. Si vero in conjunctione animalium societatem posuit auctor, jam videmus quanta sit incerta atque instabilis, sic ut ne jure quidem id ita fieri, excogitari possit. Non igitur necessitas ulla extitit; non vita nata est ex necessitate, qua illa vere convivere, nos illud recte putemus. At subnectit, proprio delectu eam vitam homines elegisse, & intelligitur; sed, quod magis verum est, hic addere debuisset, nempe εξ αναγκης, & inevitabili, ita dixerim, electione id praestitisse. Nam belluis essent infirmiores, si non ad socialem vitam animum appellerent. Hinc imminens malorum strues necessitatem peperit ad consociatim, vel potius civiliter vivendum; ex necessitate, quae nullo modo vitari potest, nata est voluntas ad illud omnimo-

do

do faciendum. Et fic probe haec intelliguntur. Quae vero in conclufione affert, liberius dicta puto. Ait enim, fibi abfurda inverfione rerum videri omnia confundi, dum nullum difcrimen relinquitur inter actus neceffarios, & illos, qui in noftro arbitrio funt repofiti, fi ἐκ κοινωνίας apum, hominum confortio repetatur. Quis eft tam caecutiens, qui ignoret quanta ratione vitae civilis argumentum ab apibus defumatur? Sed videamus. Si fub nomine actus neceffarii, intelligi voluerit potare, comedere; hoc tam brutis, quam hominibus commune erit. Sin autem fenferit de modis ad focietatem potius pertinentibus, (quod in regimine apum praeclare videtur) id unica ratione poffet neceffarium appellari, quia nullo λογισμῷ fiunt: quod contra eft hominibus, qui praevidendo, jam norunt quotquot fufcipiunt actus. Inde vero non fequitur quod neceffarii non fiant, cum ita potius effe debeat, quoties mcliorem fortunam homines nancifcuntur. Reliquos vero actus, qui vim rationis fequuntur, eoque iis, qui ratione utuntur, tantum funt communes, neque cum his quidquam habere, neque legitime

con-

conferri posse, exploratum habemus. Nulla igitur rationum inversio inest rei, quae recte magis vadit, quoties cum illa, quam apes ineunt, earumque vitae ratione, nostram societatem comparemus. Atque ita vix est, ut partitio illa actionum, quam ipse sibi affinxit auctor, absolvi possit; cum nonni i fut lis verborum lusus sit, inanem divisionem suscipere, in re non *grammatice* logica, sed solidiori potius doctrina excutienda. Verum unde divertimus revertamur.

Homo, qui eo sublimius extollitur supra cetera animalia, quo magis ratione pollet, ac lege ment s a lege corporis abducitur: eo in statu, vel ti gemma in sterquilinio, quid hominem de eat, quidque ad sui splendorem apprime duceret, ig oraret; dum vitam solivagam, undique damnis ageret stipatam. Nam ipse formatus ad rerum sublimium, ac supremi Numinis intelligentiam, quam intelligentiam habere poterit, si nullo rationis concussu, nullaque mentis perspicua cogitatione ad bona quaeque elevetur? Quamvis enim hominem inter ac brutum hoc maxime intersit, quod ille ratione praestet; ta-

men si nullo hominum consortio, minime ad ratiocinandum instituatur, quod proprium est hominis, amisso, naturam induet ferinam; ac proinde esset, ut non modo sui notitiam, sed ullam boni & aequi ideam ignoraret; nullum Creatorem fateretur, ac denique tota incideret felicitate destitutus. Hinc clarius distinguenda fuisset ab Heineccio propositio illa: quod homines in statu naturali viventes *non minus, quam nos, qui status adventitios adscivimus, ad Deum colendum, eique obtemperandum, ad se ipsos amandos, conservandos, perficiendos, alios denique homines tamquam se ipsos diligendos, neminem laedendum, suum cuique tribuendum, quin & ad omnia humanitatis, ac beneficentiae officia aliis praestanda sint* obligati (*a*).

Nam, id vel intelligimus de statu mero primaevo naturali, vel de illo, cum jam homines inter se versari coepisse existimamus. Si de hoc (praepostere dicam), jam habemus tacitum principium societatis, quamvis nullis adhuc pactis, ac le-

(a) J. N. & G. Lib. II. Cap. I. §. VII.

legibus firmatae ; quia tunc , cum omnibus uſu pateret , quid bonum , quid malum eſſet , quidque laederet , vel juvaret alterum , jam ratiocinatione uterentur , & in ipſorum eſſet poteſtate, omnia amplectendi , quae commune bonum ſpectarent . Sin autem de primo , nullus dubito , quin nonnulla horum ſemina ſint hominibus inſita , ſed quae magis ſocietatem requirunt , non aliter intelligi poſſunt , quam in ſocietate , utpote ex ea naſcentia . Si in ſtatu naturae fieri poteſt , ut admirabili terrae diſpoſitione , caelorum ſtructura mens quaevis ad aliquod praeter naturale principium ſe erigat , id perraro , imo rariſſime fieri dicendum , quia non omnes , per ſe , recte ratiocinarentur , ſed maxima pars tantum obſtupeſceret , ac veluti in labyrintho nullam cauſam , nullamque certam viam teneret . Si infans natus mancipetur deſerto , & quavis bellua nutritus , nulla rerum cognitione , ad aetatem maturam perveniat , ſane hic expers rationis belluis confunderetur . Qui ergo commune eſſe poterit extra ſocietatem viventibus , quod non niſi ſocialiter congregatis proprie con-

venit? Quomodo Legem naturae in uno tantum homine mente concipere poterimus (1), si per legem naturae intelligi volumus officia debita inter homines, a natura ipsa profecta, societate vero, & omnium consensu firmata. Hinc differentia Legem inter Naturae, & instinctum naturalem: illam nobis ostendere officia societati non repugnantia, & ideo sic appellari, quod ordinem naturalem spectare videmus: instinctum vero naturalem denotare, quid innatum in homine mere naturali est, ut victum, potumque sibi comparare, & alia hujusmodi. Hoc si advertissent scriptores, rem tantis ambagibus non implicassent. De Instinctu naturae loqui eos prius oportebat, vel de hoc saltem intelligere cum de Jure Naturali primario loquebantur: in eo totum

(1) Haud tam extensam Legem naturae hic significamus, uti illa ad omnes, quas etiam cumque res significandas usurpatur: respicit enim illa magis DEI providentiam; nos vero de ea dicimus, quae ad hominis officia venit pars praecipua, quasi Naturae Legitima, quae nempe ex lege est, ad normam vero Naturae temperata.

tum juris naturae aedificium positum est : inde quae sit hujus rei species , quaeque veritas eruitur. Quid ergo jus istud naturae? Facile dixerim , jus sibi conveniens , jus aequalitatis , & concordiae. Auctores dum illud quaerunt , vel in minimis ejus partibus detinentur, vel potius vitia meditantur. Hobbesius dicens , in statu naturae jus esse omnibus in omnes , jam violatam profert status illius naturam , jam simplicem primam commaculavit. Non sane jus est omnibus in omnes , nisi per necessitatem , perque alterius provocationem ; quae cum vitia sint , ad ea nos spectare non debemus , sed primum aspectum status illius attendere ; qui cum sit aequalitatis , in ea nos versari oportet, inque ea nostras ratiocinationes instituere . Ex Hobbesii mente sequeretur discordiam insitam esse hominibus , quasi natura homines in mutua contentione essent . Id nullo pacto videbatur a se vitari posse, & Auctor illud admisit. At quomodo inde futurae essent societates? nisi contra naturam ac metus subsidio, numquam gigni posse sperabat . Hominum vero (ut eo, unde profecta est oratio reverta-

tur) consensio , foedera , sanctiones , id est , si ingenue fatendum , quod sub Legis Naturae nomine venit. Cicero mirum quam nostris faveat, aspiretque dictis . Ipse sic ait : *multum dare solemus praesumptioni omnium hominum : apud nos veritatis argumentum est , aliquid omnibus videri* . Quodnam vero argumentum , quae sana πρόληψις manaret ex hominis mente nullo evigilata , exercitaque consilio , nullisque gentium opinionibus exornata ? Hinc lucem accipiunt quae a Pufendorfio traduntur : *a societate jus omne naturale derivare ;* nempe omne id , quod nisi in societate exerceri nequit . Quare vela retrahimus, dicentes, quod cum lex non cadat nisi in societatem , in ea tantum obligationes locum habent : extra societatem vero,cum numquam illa sit futura, nulla nascitur obligatio (1).Quae namque lex spe-

ctat

(1) Hoc cum negare non possis , alterum affirmare necesse est , secundam definitionis partem , quam legis Naturae tradit *Burlemachius*, aliique nonnulli , non semper esse veram , & quandam , prout hominis status est , veluti intermissionem pati oportere .

ctat ad factum unius; quod alteri nec prodesse, nec nocere potest? Id in statu merae naturae certo evenit. Qua de re nec in eo assentimur viro τῷ πανυ Heineccio, qui contrariam tuetur sententiam hisce verbis: *Quamvis in illo statu valde abrutescere potuisset humanum genus, non sequitur ut in statu naturali juris naturae cognitio, & obligatio plane nulla fuerit* (a). Imo dicendum, in statu naturali penitus nullam fuisse obligationem, cum non nisi uno naturae instinctu homo tunc praeditus considerari posit. de quo satis dictum est.

Et antequam ulterius progrediamur, volumus quasdam nascentes quaestiones breviter explanare. Sunt, dicent nonnulli, hominis quaedam partes erga DEUM, & erga semet ipsum, quae sine controversia ipsi adhaerent, & cum extra societatem versatur. Hasce partes, obligationes appellandas esse. Has igitur singulas nos percenseamus.

Harum obligationum, quamvis diversa sit species, ad unum tamen omnes rediguntur; cum singularis ipsarum σκοπος sit, DEUM omnium rectorem fateri.

(a) J. N. & G. Lib. II. Cap. I. §. IX. *)

ri. Quod cum consequimur, & illud intelligitur, nullis operibus ab illo nos posse recedere, quae suae menti, ac providentiae adversentur. Sic non solum, quae ad sui cognitionem sunt ordinata inter potissimas, Sibique debitas partes numerantur, sed etiam, quae ad nos pertinent ipsi referuntur. De magni Numinis intelligentia, numquam ab id genus vitae hominibus, vel admodum raro, ut supra dictum est, sperari potest; nisi superiori potius auxilio id fiat; & tunc, ut jam DEI notitia habetur, sequentur etiam statim obligationes erga illum. At si nulla veritatis hujus idea habeatur, nulla erit obligatio. Quae vero semetipsum respiciunt, ut propriam vitam tueri, nulla in parte suum corpus deformare, aut mutilare, contrarium habent effectum. Possunt enim homines mere naturales hoc praestare, imo & praestant, dum vim ac necessitatem illud faciendi audiunt, quod communi instinctu datum est & belluis, quas nec praecipites videmus sibi necem consciscere, nec malum ullum appetere: dummodo haec ab ipsis nullo furore agantur.

At

At nonnullae praeterea videntur esse aliae obligationes hominibus annexae : ut, brutorum copulam aversari, foedissimo masturbatorum vitio abstinere, quos turpissimos usus, a natura ipsa, hominibus, veluti aqua, & igni interdici videmus. Hoc vero genus obligationum & ejusmodi est, ut in mero statu naturae, neque intelligatur, nec ab eo faciundo cur homines removeantur, caussa tanta exhibetur. Neque hoc impie prolatum volumus : cum illorum temporum, quorum sermo est, sit ratio habenda. Qui naturaliter se cum belluis copularet, ageret, quod caecus appetitus dictaret : dictare tamen videret rem non sibi molestam : nec ad id fugiendum quidquam impelleret, ut ad comedendum, ad corpus tuendum ; quod si non faceret, quanto damno non illico premeretur ? Nec tamen aliunde videt, quid mali, atque exsecrationis tantum scelus referat. Qua de re, quia factum ex defectu cognitionis ignorat, nec turpi nota, qui talia facinora patraret, in mero statu naturae, designandus erit, cum inculpatus illius vitae habendus sit effectus : Quod etiam de ma-

stur-

ſturbatoribus intelligi volumus .

Hae ſunt ejus vitae defenſiones, (quamvis nec ita eſſe deberet) & excuſant immane quantum facinus illud eſt; in quo ſi fieri potuiſſet, & minus verſari voluiſſem: at rei omnino adeſſe oportuit. Si vero, tantorum malorum ideas, jam ſibi, naturalem vitam degentes, quovis antea modo compararint, quidque ſibi velint pulchre cognoſcant, procul dubio tenentur, ac non minus quam nos, ad ea omnia ſtricte ſervanda, aſtringuntur: ut evenire poteſt illis, qui ſocietati renuntiantes, & hominum conſortio valedicentes, in remotiſſimas, ac deſertas regiones abiere. Hi ſane (excepta una in cives obligatione, a qua pene exempti ſunt) ad illud, quod nos in ſocietate praeſtamus, majori religione peragendum pariter vocantur; cum a rerum pravitate, ac malorum cauſis ſint penitus remoti. Atque hinc digniores habendi ſunt qui inter hominum corruptelas recte vitam agunt, quam, qui illam nanciſcuntur, poſtquam ſe hominibus omnino abdicantes, ſolitudines petivere.

Hic mihi in mentem venit homunculi illius, quem

quem S. Hjeronymus saxis refertas inter convalles a bono viro inventum, eundemque allocutum esse narrat. Praetermittimus nunc tot dubitationes, in quot legentes hunc locum Hieronymi facile possunt adduci. Credidit enim Hieronymus illum fuisse satyrum (1). Nos illud tantum pronuntiamus ea, quae nobis de tali viro decet reverentia, quod ex ipsa homulli loquela, quam pius Hieronymus patefacit; contrarium probari videtur; ait quippe: *mortalis ego sum, & unus ex accolis eremi, quos vario delusa errore gentilitas Faunos, Satyrosque & incubos vocans colit* (a). Sed rectius forsan nobis prospicimus, si iis, quae luculente scripta sunt a Jo-

(a) In vita S. Pauli, qui primus solitariam vitam sibi instituit.

(1) Satyros, Centauros, Faunos, aliaque id genus vocabula non nisi inanein locum ad simulatam orationem exornandam apud scriptores tenere, constanter videre est. Nam ea ab hominibus semper improbata fuere; tuque vide

Ne forte ex homine, & veterino semine equorum
Confieri credas Centauros posse, nec esse:
. . . .
Nulla fuit quoniam talis natura animantis.

a JOSEPHO CORIOLANO patre cariſſimo, (cujus DEUS O.M.tot in nos labores laeta ac longa ſenectute remetiatur) in Opere *della Regolata e Viziosa Generazione degli Animali* (*a*), noſtram hanc ſententiam ſubjiciamus. Me igitur PATRIS probitati in hoc lubens committo. Quod ad rem facit illud eſt, ut homunculum ratiocinantem, bene de DEO informatum fuiſſe, & Chriſti Domini plenam notitiam habere videamus. Hoc nobis perſuadet, unum ex hominum coetu ſolitaria loca ſibi habitanda olim decreviſſe: qua in vita diu, duriterque adeo verſatum eſſe, ut corpus undique pilis, unguibuſque obductum, humanam vix amplius formam exhiberet. Tamen ea etiam tunc ipſum diligenter nimis curare, quae virum divinarum humanarumque rerum peritum maxime decent, ſua ipſius oratione intelligimus.

Sed in viam redeuntes, miſerrimam dicimus ejuſmodi vitam, cum omni conſortio atque humano auxilio orbaretur. Nec enim quod homo homini non eſſet ſubjectus, tanta res foret ut ullam boni ſpeciem

(a) Part. I. Cap. X. §. 150. (o).

ciem prae se ferret, cum id majorem habeat infelicitatem, quoties non reliqua coeptis respondent. Dissimilitudo virium causa est, quo magis magisque ingenium acuatur; inde enim est, ut ad abstrusiora non imperitum accedat. At in illo statu, neque haec, nec vera a falsis discernere datum est. Non enim haec intelliguntur, nisi ab illo, qui in societate permanente, suam ad civiles rationes aptat intelligentiam, ac rerum inde omnium, tum etiam veritatis sit particeps. Sola est igitur hominum communio, quae Bonum, Honestum ac Justum ob oculos ponit; cum in ea, quotidie horum contraria nobis evenire videmus. Sunt qui ob nullam causam male de nobis merentur, & nos injuria affecti, graviter sentimus id, quod nobis illatum, improbe factum vocantes, cum & aliis infertur, eundemque sortiatur effectum, eodem vocabulo designamus. Saepe, quamvis factum alienum nullo sit nobis detrimento, quia non omnia per gradus aeque metitur bona, inhonestum appellamus. Quod si denique, quavis de causa, nobis vel merces laboris, vel gratia debetur,

id-

idque non conſequimur, injuſtitiam dicimus. Quorum in ſtatu naturae nullum quiſquam veſtigium aſpicere poteſt. Satis igitur demonſtraſſe videor, primum naturalem ſtatum omnino hominis naturae eſſe contrarium.



CA-

Caput II.

De secundario Naturae statu; deque Familiarum regimine.

QUam huc usque de mero statu naturae ideam praebuimus, ad ea, quae nascente aetate facta sunt, perquirenda, satis convenire videtur. Quippe, quamvis ea lege omnia in natura manant, ut aequo pede proficiscantur, sunt tamen, quae inter se differunt, ac multa discrepantia discernuntur. Sic novissima rerum tempestate, mores nascentes longe ab hodiernis ivisse, credendum est; unde, illorum temporum evolutiones, quantum fieri potuit, discussa caligine recensuimus. Nolumus tamen ita nonnul'os sibi in animum inducere, ut ad libidinem nos sic egisse dicant, cum omnino id spectasse oportebat, quoties gradatim per secundas ac tertias rerum vices nostra haec oratio progredi debebat.

Sane status hujusmodi, non aliter posse con-

concipi videbitur, quam mente; cum fieri non possit, ut tantam rerum destitutionem natura umquam prae se tulisset. At diversa res est. Judicio magis ponderantur, quae intuemur, cum stricto jure agatur, quam cum bona fide. Sic agendo, illa deteguntur, quae aliter pressa silentio remanerent: Insuper id idem est, ac diligentius ordinem servare: melius rei propositae consulere: clarius, quae demonstranda erunt, offerre. Neque satis esset volenti de hisce scribere, primum naturalem statum hominum fuisse ostendere, si non paratus ad illum accedat, ac majori investigatione a se rem haberi putet; ita ut, ante omnia illum dispertiat, atque a statu civili omnino sejungat, ne una res cum illo habeatur, quod factum est in §. II. Institutionum (a), ubi pro Jure Civili usurpatur; inde, primum de mero statu naturae, postea de laxiori secundario sibi tractandum sumat. Nos sic egimus: & primam illam formam vivendi si recensuimus, ad posteriora paratiores venturos esse, speramus.

Non

(a) J. Imp.

Non eſt, quod dubitetur, in id calamitatis poſſe homines pervenire, ut in eum ſtatum delabi poſſint. Perſaepe id viſum eſt, & nos id nunc demonſtrabimus. Quod cum ita ſit, recte factum eſt, ut ultimae naſcentis rei tempeſtati id tribuatur, quando ſane ſimpliciora magis convenire videntur. At aliquibus minus forſan arridet noſtra haec ratiocinatio, quia vident primos hominum in ſocietate conſtitutos. Qui ergo eſſe poterit, quod aſſerimus, ſi a ſocietate πρωτοπλαςυς ipſos, vel potius ſocietatem ab ipſis πρωτοπλαςοις originem traxiſſe noſcamus? At ejuſmodi argumentum, quo evertere totum hoc ϛυςημα putant, corruere, ac nullius momenti eſſe quis non videt, cum hominum vitam penitus in profundo demerſiſſe, duris adigentibus neceſſitatibus, & maximas ſibi acquiſiviſſe miſerias, admodum conſtet. Innumera ſunt hujus rei ſcriptorum monumenta, quaeque hic omnia recenſere, moleſtum eſſet. Tantum dicimus de Scythis (*a*), gente ma-

 xi-

(a) Vid. Euſeb. & Herodot. Lib. I. Juſt. n. hiſt. Lib. II. Cap. I.

xime fera, quaeque asperam per solitudines vitam laboriose trahebat. De quo genere hominum, ne legentium aures immerito fatigentur, non illud agemus, ut ulla expromamus testimonia, sat habentes, horum curiosos prolixiora de ea re multorum virorum scripta posse consulere. Quod si nonnulla apud Scriptores inveniantur, quae illis bonum vitae usum ex parte referunt, id potius ad virium pericula pertinebit, quibus in remotissimas regiones se protulere. Sic quod dicitur: *justitia illis non legibus accepta, sed ingeniis insita* (a), ipsorum calliditati erit referendum. At esto, si ita de Scythis credamus, intelligendum sane erit de illis jam armis exercitis, ac feritatis tegumento aliquantulum exoneratis, ac proinde de posterioribus. Nos tamen, de primis Scytharum hominibus loquuti sumus, qui pessimum vitae genus, a belluis veluti mutuantes, nacti sunt. Sic pariter Ammianus Marcellinus de Hunnis testatur, ex errabundis Scythis, ut multorum est sententia, in agrorum solitudine prognatis, nec nos labora-

mus

(a) Adeas Strab. Diod.

mus de variis ipſorum originis opinionibus: *Hunnorum gens, ultra paludes Moeoticas glacialem oceanum accolens, omnem modum feritatis excedit* (*a*). Quaeque more animalium lumine mentis carentium, non alia amplectitur, quam quae a propria voluntate ſibi ipſi inſpirantur: nulla rerum aſſueta perveſtigatione, nullum honeſtum inter, ac turpe ſtatuens diſcrimen, ut idem Marcellinus, paucis interjectis, ait: *inconſultorum animalium ritu, quid honeſtum, inhoneſtumque ſit penitus ignorantes*. Verum, quid hiſce Tullii verbis clarius dari poteſt! Haec luſum illum naturae ſatis explanant: *Fuit quoddam tempus, cum in agris homines paſſim beſtiarum more vagabantur, & ſibi victu ferino vitam propagabant; nec ratione animi quidquam, ſed pleraque viribus corporis adminiſtrabant: nondum divinae religionis, non humani officii ratio colebatur: nemo nuptias viderat legitimas: non certos quiſpiam adſpexerat liberos: non jus aequabile quid utilitatis habcret, acceperat. Ita propter errorem, atque inſcientiam, coeca, ac temeraria dominatrix animi cupiditas,*

C 2 *ad*

(a) Lib. XXXI. Cap. II.

ad se explendam viribus corporis abutebatur, perniciosissimis satellitibus (a). Et quamvis undique calculos excerpere nobis non sit in animo; tamen alterum Mantuani, unumque Lucretii testimonium afferre placet. Sic ille:

Haec nemora indigenae fauni, nimphaeque tenebant (c).
Gensque virum truncis, & duro robore nata.
Queis neque mos, neque cultus erat, nec jungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto:
Sed rami, atque asper victu venatus alebat (b).

Quod & jam pridem de iisdem sic cecinerat Lucretius:

. . nemora, atque cavos monteis, silvasque colebant.
Et frutices inter condebant squalida membra,
Verbera ventorum vitare, imbreisque coacti.
Nec commune bonum poterant spectare, nec ullis

Mo-

(a) De Inven. Lib. I. §. II.
(b) Æn. Lib. VIII. v. 314. & seqq.
(c) Nomina a Poetis usurpata ad primos homines significandos. Vid. Dionys. Halic. Lib. I.

Moribus inter se scibant, nec legibus uti (*a*).

En probe qualis illius vitae tenor, qui in primaevo statu naturae consistit, quem merum naturalem vocavimus. De quo, quamvis veterum recenseat loca Heineccius, quae ad nostram opinionem accedunt, non sibi tamen satisfactum fatetur; cum dicat, *fictio haec est, & quidem parum verisimilis*. Atque inde, totus est in profligandis illis Pufendorfii, ajentis: *societatem solam altricem esse juris naturalis*: quod verissimum est, cum Pufendorfius, per Jus naturale, hic senserit, legem illam naturalem, quam proprie societati convenire omnes norunt, & nos abunde demonstravimus. Si ergo ex Pufendorfii etiam doctrina, societatem solam altricem juris naturalis esse scimus, patet, quae fides habenda sit illis, supra allatis ejusdem Heineccii verbis (*b*): quae sane, nec in statu naturali secundario tantum effectum sortiri valent. Nam, qui quaeso poterit, quod legibus indiget, sponte ab hominibus naturaliter viventibus fieri, qui si sciant id faciundum

(a) Lib. V. v. 941. & seqq.
(b) J. N. & G. Lib. II. Cap. I. §. VII.

esse, tamen non faciunt, quia nulla vi premuntur? En locus Ciceronis, quem affert Heineccius, ea tamen mente, ut numquam sibi ita fuisse persuadeat. *Quis vestrum ignorat ita naturam rerum tulisse, ut quodam tempore homines nondum neque naturali, neque civili jure descripto, fusi per agros dispersi vagarentur, tantumque haberent quantum manu ac viribus per caedem ac vulnera eripere, aut retinere potuissent* (a).

Haec Oratoris verba, ex quibus miram nobis lucem devenire laetamur. Nam dum dicit, *neque naturali, neque civili jure descripto*, jam patefactam habemus differentiam, primum inter ac posteriorem naturae statum. Quoties enim nec naturale, nec civile jus erat descriptum, hoc est, statutum, destinatumque hominibus, miserrimam sane vitam, quam ad secula nascentia attexuimus, viguisse dicendum.

His exactis circa statum mere naturalem, quem ad prima rerum incunabula referre oportuit,

(a) Vid. Heinec. in. §. IX. *) Lib. II. Cap. I. ejusd. Op.

tuit, licet forſan non primus, ſed prout ſupervenientes acceſſerint vices, aliquando exſtiterit; in illum naturae ſecundarium nunc intueamur. Et ſane ſtatum hunc, de quo fere omnes intelligunt, cum de naturali forma vivendi verba faciunt, illum ad vitam aptiorem eſſe, atque ad arcenda pericula, ac moleſtiarum ſtruem, qua vita agreſtis undique laborat, idoneum jam poſſe fieri videmus (1). Quippe & ſuis ſuſtinetur viribus, & alienis quodammodo confiſus, ſibi magis conſulere valet, Vident tamen, qui ſunt hujus aevi homines, ſe undique formidine ſeptos, quot, quantiſque malis, ac malorum cauſis obnoxios remanere! Vident, & quamvis videndo doleant, non eſt tamen, cur non illa arcere poſſint, ac ne perturbentur, oſtenta procurent. Adducta ſcilicet gens illa e medio tenebrarum, cum non amplius remotiora deſerti eſſent receptacula virorum, jam prope luce meridiana fruitur, & inde, quidquid optime fa-

 ctu

(1) Quanti fecerit, atque ad exercenda munia aequalitatem ſtatus hujus naturae aptam crediderit Riccardus Hooker, mirum videtur!

ctu esset, nil adversante, pulchre auspicari potest.

Neque de transitus difficultate ab uno ad alterum statum dubitari debet: cum quibus modis in illum delabi, iisdem assurgere, indeque reverti possimus. Dies unus alterum sequitur, ac novo adventu novas parturit vices. Sic crastina ventura die, superiora mutantur. Homo vero, cum eo pervenerit, ut jam de se meliora carpere possit, ad ea se convertet, quae bonam spem gignunt, maximamque salutis partem pollicentur. Cum enim peculiari ratione singulorum res haberi videt, sic sibi faciundum esse autumat, unamque sui curam suscipit. At quia non satis sibi prospectum esset, si legibus ingenitis non eam homines fidem haberent, quam ad sui ipsorum tutelam natura ipsa expostulat; sic illis obtemperare, sedulo meminerint. Et sane homo, qui per se ad societatem nascitur, ad illam conflandam, firmandam, regendam solus ab ipsa natura est comparatus. Sentit tamen nescio quid introrsum, quod alio vocat; dulcis amor consor-

sortii eum grate titillat; ad conjugium quam citissime fertur. Atque hae sunt artes, quibus sibi viam natura paravit, quibusque usa est ad societatis compotes homines reddendos.

Hinc illae primum Veneris dulcedinis in cor
Stillavit gutta, & successit fervida cura (a).

Hinc marem inter, ac foeminam mutuus amor, qui eo in majorem abit, quo crebrius, quod sibi maxime debetur, consequitur. Ad hoc *συμπάθεια*, quae mutuo quod non habet exposcit, quae tenet possidenda relinquit; eoque in societatem properat. Nam cum ad illud ventum sit, ut suum effectum invicem societatis semina habere possint, jam fieri societatem ipsam videmus, quae simplex quamvis, nec aliter ac duos inter ab origine, est tamen, quae nec moram patitur, & quasi, impatiens majora videndi, pennas quatit, ac grandior, dictante natura, cito evadit. Hoc ita ab Aristotele explicatum fuit: *Necesse jam est primum copulare eos, qui sejuncti esse non possunt, ceu foeminam & marem procreandi causa, atque hoc*

non

(a) Lucret. Lib. IV. v. 1051. & seq.

non consilio, ac voluntate, sed quemadmodum & in aliis animantibus (hoc mihi contrarium videtur) *& stirpibus natura datum est appetere, quale ipsum est, tale relinquere alterum*. Haec ejus verba: και τουτο ουκ εκ περιαιρεσεως, αλλ' ὥσπερ και εν τοις αλλοις ζωοις και φυτοις φυσικον το εφιεσθαι, εις αυτο, τοιουτον καταλιπειν ἕτερον (a). Communis sane est hominibus ac brutis insita, atque innata illa libido commiscendorum corporum, verum homines, quamvis & natura ipsa ad hoc ferantur, ratione tamen norunt quid sibi velit conjunctio illa, quod sit via parata ad societatem. At bruta, uno motu corporis, nulla posteritatis spe, ut contrarium vult Aristoteles, se ad copulam convertunt. Sed jam ad tertium, quomodo in familias homines convenerint, accedamus.

Hoc autem per se innotescit: nam homo, in simplici mulieris societate constitutus, physica conjunctione corporis, jam sibi prolem comparat; quae pro majori, vel minori numero, in grandiorem, vel

(a) De Rep. Lib. I. Cap. II.

vel breviorem societatem illam redigit; ac proinde jam ομοκαπνοις suis assurgere quamque domum videmus. Utimur tamen hic vocabulo domus, eodem sensu, quo & illo familiae; quam nunc non intelligimus communionem parentum cum filiis, famulisque, sed parentum, filiorumque communitatem. Atque hosce naturae progressus cum ipso Cicerone salutamus, qui Officiorum libro sic habet. *Prima societas in ipso conjugio est, proxima in liberis, dein una domus, communia omnia. Id autem est principium Urbis, & quasi seminarium Reipublicae* (a).

Aristoteles, cum de Republica disputaret, instituit prius sermonem de servis, & quod mihi numquam ita visum est (1), illud agit, ut servos quosdam natura inveniri, sicut do-

(a) Lib. I. Cap. XVII.

(1) Neque inde colligitur minus obsequentem esse animum nostrum Aristoteli, qui talis est, ut bonorum saepe laudibus etiam polluatur, tantum abest, ut quidquam proferre audeam de tali viro. Dicimus ea quomodo sentimus, sicque ingenue; neque dubitamus quin ipse Aristoteles si viveret, ut omnibus, & sibi etiam illud conveniens putaret: *homo sum, humani nihil a me alienum puto*.

& dominos alios probare allaboret. Hoc, vere dicam, neque rei, neque naturae consentaneum videtur. Sic tamen ipse: ὅτι μεν τοινυν εισι φυσει τινες, οἱ μεν ελευθεροι, οἱ και δουλοι, φανερον, οἱς και συμφερει το δουλευειν, και δικαιον εστι, *Esse igitur nonnullos alios liberos, alios servos natura, perspicuum est: quibus expediat, quosque justum sit servire* (a). Et paulo ante dixerat: εστι γαρ φυσει δουλος, ὁ δυναμενος αλλου ειναι· διο και αλλου εστι· και ὁ κοινωνων λογου τοσουτον ὅσον αισθανεσθαι, αλλα μη εχειν. *Natura enim servus est is, qui alterius esse potest, ideoque & alterius est: & qui eo usque rationis est particeps, quoad eam sentiat, sed non habeat* (b).

Quaeso quid est, quidve in statu Naturae significat natura servum esse, vel fieri; nonne natura omnes homines aequales constituit; nonne quod uni jus tribuit, idem ceteris omnibus dedit? Quomodo ergo natura unum efficit servum, alium vero dominum: vel quomodo in pa-

(a) De Rep. Lib. I. Cap. V.
(b) Ibid.

pari jure miſeriores alios fieri, potiores abire alios dicemus; idque qua ratione, qua lege? Si illud, quia infirmus mente aliquis invenitur, nonne imbecilliores ſunt alii, qui caſu eo forſan pervenere, ut commodis abundent: ſin autem ſibi corpus non ſuppetit, nonne natura magiſtra, quid tunc faciendum ſit, in promptu habemus? (1) Naturae magis ſervire oportet, quam ipſam noſtris cupiditatibus impie ſubmittere. Hoc enim eſſe non poteſt, illud neceſſe fieri debet; & uno dicam, contraria aſſerere, eſt totius rei naturalis συςημα peſſundare. Quod gratum eſt nobis, omnes delectare fatendum eſt, quod malum uni, ceteris moleſtum videri comperimus: qua ratione, uti nos non ſervos fieri, nec tantum nominari in ſtatu Naturae ſuſtinemus, ita nec ullos natura ſervos umquam extitiſſe dicemus: placet inde omnia derivare. Initio uno nomine homines appellabantur: neque ſervus, neque domi-

(1) Haec videntur magis ſtatum adventitium reſpicere, & nos ad illos, qui forſan verbis pugnare vellent haec ſcripſimus, cum illa ſors hominum nullis alienis defenſionibus indigeat, & ſatis ipſa ſibi, omnibus aequa lance [illegible]

minus erat: una erat libertas, unum erat jus, ſimplex, & commune gentibus omnibus.

Ariſtoteles vero uſque eo defendit ſervitutem iſtam, ut plus boni dixerit huic adeſſe, nempe iis, qui natura ſervi ſunt, quam qui jure civili fiunt (a). Hoc ſi eſſet, neque intelligerem, cur quos natura ſervos effecerit meliores dicere oportet, quam quos jus civile tales reddiderit. Amicitiam quandam tunc eſſe dominum inter & ſervum putat Ariſtoteles, quam non intelligimus, niſi potius neceſſitudinem, quam infenſior illis natura indiderit, amicitiam appellare volumus. Sunt primi natura ad ſervitutem comparati, quod eſt, quantum excogitari poſſit omnibus deteriores; at qui jure civili ſervi facti ſunt, quamvis & perpetuo in ſervitute manerent, eo potiores habentur; quo a natura liberi ſunt creati. Neque reſpiciendum ſit ad modum, quo humanius vel aſperius tractarentur. Sequitur enim noſtra ſcelera ſors noſtra. Et nos parum concinne videremus fieri illam comparationem natu-

(a) De Rep. Lib. I. Cap. VI.

turae cum nostra libertate; nam illius ratio una DEI voluntas est, hujus vero cujusque nostrum actiones. Nobis, fateor, sic visum est, sicque asserimus, defendimusque, nullum natura esse servum. Brevi hac digressione peracta, rem nunc ipsam agamus.

Cum in meliorem formam homines convenientes domos constituerent, in libertate ullam servitutis imaginem ignorabant. Unus erat pater, qui domui jus dicebat: ipse omnibus praeerat, cum reliqui ejus familiae suae ditioni submitterentur; solus namque est ad obtinendum principatum a natura vir comparatus (1), qui praestantia mentis & cor-

(1) Nec tamen defuere qui foeminis eas partes tribuerent, atque ad illud supra ceteros imperii jus expetiundum etiam vocaverint, ut Jo: Casus Anglus & Justus Lipsius, quod unum mulierum generi deesse videbatur, jure concedendum esse contenderunt. Nos venustatem, gratiam, ceterasque cupidinis artes illis tribuentes, a muneribus sublimioribus, pleno antiquitatis suffragio, omnino amovemus. Quae enim in sacris Tabulis hujus rei exempla esse videntur, magis ad DEUM rerum omnium arbitrum colendum nos vocant, quam ad aliud; quum & minimis causis saepe ad suam potentiam declarandam ipse usus sit.
Sic quod de Amazonibus dicitur vel parum vel prope nihil est: quum a gravioribus scriptoribus in dubium adhuc vocetur;

corporis in gradum foemina eminentiorem constituitur : hinc si ad principatum adipiscendum vir aptior est quam foemina : & foemina, in omnibus imbecillior est; nam ut inquit Plato: *επι πασι δε ασθενεστερον γυνη ανδρος* (a), a valentiori cum illa jam occupetur, quidquid ex ea acciderit, ad virum etiam pertinebit. Aequum est enim, eidem imperio obnoxium esse minus, quo majus antea fuit, quoties unum ab altero derivat. Contra tamen sentiit Hobbesius, qui naturali jure, filios in matris potestate nasci, non vero patris, existimavit : in qua sententia quam se ipse decipiat, vel inde patet, quod & frugum messes ad campum pertinerent, quia illas produxerit, mini-

tur; neque, si esset, tantum in peculiari quadam feminarum jam violata natura viderem, ut novum *axioma* constitutum vellem. Quid illud si foeminae mammulas resecarent, aut ab officio deficerent, ut novum sibi adjungant; nonne contra naturae decretum agi videretur? Natura fecit illas mulieres, nempe ut ad viros acciderent; debiliores, ut illis submitterentur : pectus, facies, corpus denique, illiusque tot crebra incommoda nil aliud evincunt, quam *οργανον* tantum esse ad generationem, atque ad viri levamen comparatum.

(a) De Rep. Lib.V.

nime ad colonum, ſine cujus opera nullus eſſet proventus, ac ſteriles agri jacerent. Terra excipit ſemen, atque ad maturitatem conſervat: inde, quidquid natum eſt, nobis relinquitur. Mulier praeſtat ſimile inter homines, cultoris munus agnoſcit: Hic ſteriles foecundat agros: nonne & illi fructus debentur? At dicetur in ſtatu naturae dubium eſſe patrem deſignari. Forſan ex hoc negari poteſt aliquem patrem extitiſſe? Eo ipſo ac vir foeminam preſſit, jam in illam jus nactus eſt, quod ſemper ac velit, illud exercere poteſt. Qui dicunt, in ſtatu naturae, extra copulam nullam remanere ſocietatem, ea dicunt, quae falſa ratiocinatione ſequantur oportet. Nos conſideramus hominem animal ad ſocietatem idoneum, & ſemper rationem in factis ejus majorem videmus, quam in reliquis animantibus. Sic ſatisfeciſſe puto ſcriptori cuidam ingenioſo, qui numquam ſibi perſuaſit, potuiſſe poſt copulam per novem menſes ſimul cum uxore conjugem conſuetudinem habere. Formica frumentum colligit, reponit, & ſuo tempore, ejus memor operis, illo

ad vescendum utitur. Si id dicimns fieri naturae instinctu, nonne idem instinctus homines sagaciores reddit, atque ad ipsorum opera vigilantiores? Accedit & ratio, quae jam vires assumit, cum ad conjugium fertur homo: fertur tunc sane ad societatem. Et si in reliquis animantibus uno physico appetitu id fit, & nihilominus mas saepe onus curandae sobolis sibi assumit; quanto verius erit in hominibus, qui tanto illis antecellunt, quanto nobiliores sunt a natura formati? Expleto veneris actu, non omnino satisfactum est hominis conditioni: ratio & appetitus impulerunt eum: appetitus jam sui plenus est, ratio aliquid amplius videre vult. Sic conjugis conjux certus manet, sic consuetudo, & viri cum uxore patientia quaedam mutua fit etiam post generationem. Hoc certum est fieri in secundario naturae statu: & ego naturae vocibus innixus, ita esse debere, neque aliter fieri posse existimo.

Num ratio apud homines in statu naturae aeque pollet, atque in societate? Fortissima quaestio nonnullis visa est, Dicere homines animalia es-

esse ratiocinantia, est quantum dici potest. Quod si in statu naturae neque tam vehemens occasio sit, ut homines ratiocinentur, non est, ut natura in statu stupiditatis illos constituerit, atque ad omnia alia compararit, quam ad rerum investigationem, earumque veritatem. Tunc compressa vis illa nobilior est, quae superveniente causa, recluditur. Injuriam & sibi ipsis, & hominibus omnibus reddunt perpetuam, qui hominem remotum a prima naturali privatione, atque ignorantia, degenerem dicunt, & statum ratiocinationis atque investigationis contra naturam vocant. Haec sunt hujusmodi, ut leviter tractata nobis veritatem patefaciant; cum vero parum defricantur, omnia obscuritate suffusa, prae se ferunt incertiora. Sed hisce sepositis, ad primum revertamur; & dicimus, minus asperum, ac plusculo humanius illud aevum esse, non utique numeris omnibus perfectum, absolutumque: pluribus quippe calamitatibus etiam homines agerentur; neque opem necessariam ab aliis mutuo acciperent, uti ipsi praestare vellent. Maxima praeterea rerum pars susque deque prolaberetur,

 ut

ut inquit Thomasius, qui aperte rem declarat : *Status naturalis accurate loquendo nec belli nec pacis status est, sed confusum chaos ex utroque, plus tamen participans de statu belli, quam de statu pacis (a)*. Et sane parum possent homines sine animorum communione, mancas haberent vires in arcendis periculis, inque defensionibus, ac vitae necessariis comparandis, & tandem, quamvis ad veram vitam paratam se via praeberent, tamen calcatu difficillima, ac penitus inaccessa remaneret. Apposite Seneca : *Fac Nos singulos: quid sumus? praeda animalium, & victimae, ac imbecillimus, & facillimus sanguis. Quoniam ceteris animalibus in tutelam sui satis virium est. Quaecunque vaga nascuntur, & actura vitam segregem, armata sunt: hominem imbellia cingit: non unguium vis, non dentium terribilem ceteris fecit: nudum & infirmum societas munit. Duas res dedit, quae illum obnoxium ceteris, validissimum facerent, rationem & societatem (b)*. Haec omnia, hujus eatatis homi-

(a) Fundam. J. N. Lib. I. Cap. III. §. 59.
(b) De Benef. Lib. IV. Cap. XVIII.

mines serio perpendentes, ac sanioris providi curae, se ipsos bono potius aliquo privandos censuerunt, quam unius retentione simul omnia amittere.

Nec ulla species libertatis adesset hujusmodi vitae, cujus adeo insedit animis nonnullorum desiderium, ut ejus causa misere fascinentur. Libertas, quae jam a rerum simplicitate degeneraret, & ansam laxioribus vita praeberet, ruendi in mala, atque omni nequitiae genere abutendi. Quis igitur, qui singula ejus incommoda perpenderet, tanti ejusmodi vitam faceret, ut vel imitatione dignam censeret? Ubi nominata tantarum felicitatum multitudo, cum penitus tota sit hisce nominibus abrasa; nec nisi nomen libertatis usurparetur in re pene flagitiosa. Neque sic effinxisse dicendum, illius status contrarium, cum & ipse, res omnes humanas, non adeo sancte institutas noverim, ut non lapsu temporis in deteriores abierint. Eae enim si vitio hominis, laxiores fiunt, vim habent animadvertendi in desertores, atque ad institutum illos revocandi, modis sibi consulto comparatis, legibus nempe, ac poe-

nis. At vitam naturalem, quibus defensionibus munitam habemus, quibus propugnaculis vallatam? id unum hujus vitae libertatem dico, posse homines meliora amplecti: quid enim faciundum sit, jam per se quisque consequitur.

CA-

C A P U T III.

De Civili Societate.

Cum ex hactenus dictis clare pateat, hominis naturam admodum propenſam eſſe ad ſocietatem; ita ut, ſi vitam ab illa ſegregatam ducat, quo ad eam pervenire poſſit animum intendit; si jam in illa verſatur, quae ad ipſam tuendam, magiſque decorandam pertinent, anquirere videmus: quae de ſtatu civili jam ſe parant excutienda, ea quiſque per ſe, nullo negotio, ex illis deducere poterit. Et quoniam homines ex mero ſtatu naturae, in ſtatum familiae ſe adduci, ſupra obſervavimus: inde, quanam ratione ad alterum civilem gradum faciant, reſtat, ut pernoſcatur. Quod eo nobis facilius videtur, quo hominem animal civile a natura formatum eſſe, certo ſcimus.

Diſſitas ac longe per agros diſperſas familias primo fuiſſe patet; quae a duorum ἀδιαιρέτων, maris nempe ac foeminae conjunctione &

repetuntur, & eandem fortem una fuftinere, neceffe eft. Si vero fervos ad hafce adjungere velimus (illos nempe jam mercede conductos), veram familiam habebimus ex tribus hifce perfonarum fpeciebus, parentibus, filiis, famulifque: quae, quamvis hoc modo fe regere poffent; tamen, quia feliciores effent futurae; fi ex innumeris, variifque locis in unum convenirent, (quod Phoroneo Inachi filio tribuendum videretur (a)), id recte factum putarunt. Non ita verum, ut ex pluribus familiis, una quam maxima conflaretur, ad quam undique omnes confluerent. Nam & difficile id abfolvi poffet, ac fi fieret, multa incommoda nafci videremus. Neque enim corporis unius habitus, qui regionis temperiem amat, alibi bene effet; & ficuti diverfa loca diverfos faepe mores gignere folent, ita difcordes manere animos, ac perpetuo diffidentes fequitur. Sed fartae tectae, quod ad internum ordinem ac difpofitionem fpectat, in eum locum abirent, in quem quaeque familiae convenire poffent. Quod fi aliae

unam

(a) Confule Hyginum de Phoron. Adeas & Eufeb.

unam terrarum partem occuparent, aliae alteram tenerent; reliquae diversam incolerent; ita vero, ut in certum locum singulae se congregarent, ubi domos etiam construerent. Facile sic enim esset, proximitate domorum, animos etiam copulatos habere, ac per mutuam opem damna reparare. Quae sunt hominibus contraria, ubicumque illi fuerint, eadem contra se experiuntur. Perturbatione nimium vexatos homines videremus, si, quod segregibus quibusque antea familiis malum erat, copulatis postea inter se propinquitate locorum, etiam remaneret. Si victus penuria, si discordia, si incuria, nullaque urbis tutela adesset, gravius jam in se ipsis insurgerent, destruerenturque familiae. Quare ad omnem hujus metus causam funditus averruncandam illud praesto erit, ut omnia ad civitatem utilia aeque, semperque suppetant: hoc vero habebitur, si conveniens sit illi territorium; si moenia, nec domus desint; quae adeo ad politicam constitutionem necessaria sunt, ut civitatem omnino costituant. At quod praecipuum nobis videtur territorium est, quo se exerceant, experianturque cives

ves (1), inque eo laborantes sibi victum ministrent. Legitur tamen apud saepe a nobis laudatum Heineccium, quod Civitas *non consistit in territorio, urbibus, moenibus, tectis* (a), sed in hominibus. Hoc facile dixerim, intellexisse auctorem de potentia, hominumque conatibus. Homines enim moliuntur in rebus, negotia peragunt ipsi, ipsisque pariter facta omnia debentur. In diversa tamen sententia contrarium dicere, falsum esset asserere. Nos uno Civitatis nomine omnia in mentem nostram venire intelligimus, quae ad illam constituendam sunt necessaria: neque multitudo hominum, quamvis le-

(a) J. N. & G. Lib. II. Cap. VI. §. CVIII. *)

(1) Cives animant Rempublicam, & territorium est unde corpus trahit alimenta. Haec, ut per se terra tradat, frustra expectamus: artibus hic opus est. Hae quantum prosint Reipublicae omnes intelligunt; cum vero illas gratificari ac promovere oporteat, omnes aspernantur. Multa hic addere oporteret; & res longe prolixa: at ipsa veritas paucis innotescit; & jam uberius tractata est a viro tum genere, cum doctrina nobilissimo Cajetano Filangerio. Hic tantam scientiam adeo patefactam habet, ut nil aliud sit desiderandum, quam ut ad exitum sua praecepta perducantur. Vid. *La Scienza della Legislaz.* dic. Auct. T. II. Cap. XV.

lege moderatorum quidquam eſt, niſi ad ſua jura experiunda ſatis latum praeſidium ſibi conſtitutum agnoſcat. Quid Civitas ſine territorio? nobis videtur idem, quod territorium ſine cive. Hoc enim jam ſilveſceret, illa omnino extingueretur. Et nos veneramur, non tamen nobis in hac re exemplo umquam futuram Rempublicam Hebraeorum rati ſumus, cum multa quae in ſacris codicibus continentur, ad mentem noſtram pie refraenandam apta tantum haberi debeant. Si nulla agrorum cultura, nulloque labore, bona quaeque haberi poſſent ad manducandum; ſi nullis navigiis freta pertranſire, undiſque leges imponere datum eſſet; ſique tandem alterum Moiſem Ducem haberent civitates, dicere potius auderem, poſſe in ſolis hominibus Reſpublicas consiſtere. Sed cum DEUS omnipotens tunc temporis id ita fieri neceſſe tantum viſerit, tunc in Hebraeos tantum prodigium operari dignatus eſt, haud nos ſimile in poſterum, ſine neceſſitate umquam exſpectaturi. Haec altius collineant: nos vero in re noſtra haud obſcuriora petamus argumenta. Rectius

eſ.

esset dictu, exercitum in hominibus consistere, qui si unius imperio regantur, nulla alia re indigent, dummodo animis inter se milites sint copulati. Quod de Themistocle ipse dicit, est in necessitate consilium a Delphico Oraculo profectum, quod in tali rerum discrimine ita factum esse oportebat: *melius*, nempe, *salutem navibus*, *quam urbi* committere, quod ita Themistocles interpretatus est Oraculi verba: *salutem muris ligneis tuerentur*.

Hic discutiendum erit aliud propositum dicti Auctoris (*), qui vehementiore suae mentis afflatu, ita scripsit: *Il cercar dunque l'origine della vita civile nelle cause della vita sociale, è un saltar l'immenso intervallo, che passa tra il sistema morale, ed il sistema fisico; ed il cercar le cause della vita sociale nella supposizione, che uomini desolati, ed oppressi dai continui disagj della natural solitudine, siano finalmente venuti al partito di stipular la formola di un patto, che potesse render sicura l'esistenza comune, è un ipotesi, cui manca* il

(*) Vid. pag. 13.

il vero, ed il verisimile (a): Et alia ad haec annectit ad hanc doctrinam comprobandam, dicens, quod nulla adsit huic rei species veritatis, quia nullum poterat a caliginosis solitariae vitae temporibus monumentum nobis transmitti. Atque inde ad Lockii argumenta confugit: verum, Dii boni, hominem video non, uti doctus est, ingenue agentem! Qui haec legerint, facile veritatem cognoscent, ac pro re cito judicabunt. Nunc, quam Auctor mutilatam Lockii sententiam, atque ita ineptam attulit, prius explicabo; deinde totam de hac re Lockii mentem, nullis interceptis verbis, bona fide depromam: *Il governo precede sempre i registri, ed al raro son coltivate le lettere presso di un popolo, prima, che un continuato esercizio della vita civile, abbia per mezzo di arti più necessarie provveduto al comodo, alla sicurezza, ed all' abbondanza comune*. Haec ita scissa ad sensum suum convertit. Nunc Lockii integrum locum habeto: *non fa duopo affatto maravigliarsi, se la storia poche cose ci dice intorno agli uomini, che han vissuto insieme nello stato di Natura*

Gl'

(a) Lib. III. Cap. III. art. 1. §. IV.

Gl' inconvenienti d' una tal condizione, e 'l desiderio non meno, che il bisogno della Società, hanno obbligato coloro, che insieme si trovavano in un certo numero, ad unirsi incessantemente, e comporre un corpo, se desideravano, che la società durasse. Che se noi non possiamo supporre, che gli uomini siano giammai stati nello stato di Natura, perchè non sappiamo quasi nulla su questo punto, possiamo altresì dubitare, che gli uomini che componevano gli Eserciti di Salmanassarre, o di Serse, siano giammai stati fanciulli, a cagionchè la storia punto non lo accenna, e non fa menzione di essi che come di uomini, e uomini che portavano le armi. Il Governo precede sempre senza dubbio i registri; e di rado le belle Lettere son coltivate da una Nazione innanzi che una lunga continuazione della Società Civile abbia con altre arti più necessarie provveduto alla di lei sicurezza, comodo, ed abbondanza. Quando perduta, ovvero oscurata se n' è la memoria, allora s' incomincia a rintracciarne, e ricercarne la origine nella storia de' suoi Fondatori: Perchè le Società an ciò di comune colle persone particolari,

ri, ch' elleno sono ordinariamente molto ignoranti nella loro nascita, e fanciullezza, e se imparano, e sanno qualche cosa deriva da' Registri, e monumenti che sono stati da altri accidentalmente conservati. Quei che abbiamo dal principio delle Società Politiche, se però se ne eccettua quella degli Ebrei, in cui DIO medesimo è immediatamente intervenuto con accordare a cotesta Nazione favori segnalatissimi, ci an conservato alcuni evidenti esempj di quest' incominciamenti di Società, de' quali ho parlato, o almeno ce ne fan vedere alcune indubitabili tracce (1).

Hactenus Lockius, cujus cum integra verba recitarim, ab aliis libenter abstineo. Nunc ad summa ejus loci verba nos conferamus.

Unde causam, ac vitae civilis originem tenere licebit, si non a vitae socialis forma illam elicimus?

At-

(1) Locke Gov. Civ. Cap. VII. §. 7.
Prius & hoc nobis grave esse cepit, falsis ea nominibus auctorem designasse: est enim in libro *Locke Gouvern. Civil. Chap. I.* §. 12. Postea typographorum incuria id tribuere malui, quam novis criminibus hominem insimulare.

Atque haec undenam clarior fiet, nisi a rerumpublicarum primordiis repetamus? Et tamen negat Auctor, cum sibi ad nullam lineae latitudinem coerceri videtur immensum illud intervallum, quod physicum inter *systema* ac morale intercedit, ita sibi male de ea re persuaserat. Nulli dubium, quin si disputatio habenda est, aliud sit sermonem instituere de physico *systemate*, aliud de morali, & qui de uno agit, non alterum quaeret, nisi cum id necessitatis ratio expostulet. Sed quoties civilis societatis originem perquirimus, diversa res est, tunc statim, ut principium illud notum habeamus ad causas percurrimus, quibus ita factum sit: quas ut intelligamus, nescio an aliter, quam si in sociali forma nos versemur, illud obtineri possit. Vita socialis naturalem primam consequuta est, ubi asperitatem natura veluti deposuerit; inde haud novas rationes descendere, sed prioribus simillimas ad majorem civilis vitae progressum. Rerum omnium privatio & miseria causa fuit sociandi homines: eadem ad civilem vitam homines adegisse dicemus, nisi tantum diminuta causa; nam ubi prius major

jor erat, poftea minor evafit. At auctor rem magis implicat, dum de morali & phyfico *fyftemate* loqui voluerit. Morale συστημα fi in civili norma exercetur, & illa fi a fociali pendeat, eft & in vita fociali quo illud consideremus: anteacta vero phyfica evolutione profecta effe oportet. Cum igitur in vitae noftrae inveftigatione detinemur, recte procedimus, cum tali modo fingulas ejus partes legendo, illam diligenter percontemur.

Illud nihil moror cum magni nominis hominibus, egeftafne, vel quarumdam rerum inopia, an vitae feritas caufa exftiterit, cur fe homines confociarint. Certe ea omnia ad hoc occafionem praebuere: neque dicendum, indigentia rerum id factum, aut fpe majoris fecuritatis, aut quovis alio nomine: imo, nec probe veritatis quaerendae modum hunc effe putamus, fi quis dicat, rerumne indigentia civitates excitatae? Et quamvis viri doctiffimi id egerint, nos tamen, fi quid videre datum eft, neque unam, neque alteram caufam fuiffe dicimus, fed omnes pariter, unoque tempore fimul. Quaeque ut clarius de-

monſtrentur, liceat pro re nata, pauliſper via relicta, in ſemita ſpatiari.

Cum illud Ζωον πολιτικον nobis non excidere debeat, utpote magni luminis in re noſtra; certe hoc animal ſociale quotidie ad ſocietatem trahitur; & quamvis ad maximam illam ſocietatem ſtatim non ſit idoneum, curat ſane, ac maxime curat, quae ducunt ad illam. Atque id videmus fieri naturali quadam rerum diſpoſitione, qua omnia gradatim, mediis percurſis, ad finem perveniunt. Nam, cum quiſque ſibi paterfamilias undique proſpectum velit, id non aliter conſequi poſſe videtur, quam plurium familiarum conventiculo. Quo ut pervenire poſſit, quodque ut faciat, non ſane ab una cauſa quaeque familia movetur, ſed ab omnibus. Neque enim ſemper una aeque omnibus eſt occaſio: & quam quis habet, ſpernit alius, quaerit tertius. Si gnavos una ac ſtrenuos alat familiares, carebit ſanioribus moribus: cui id erit, multa forſan alia deficient. Altera imbecillior, viribus altera pollens. Sicque, prout multas, variaſque vitae differentias novimus, ita familiarum con-

congregatione pariter civitates ortas comperimus. Peaeclari nominis Heineccius, cum illorum opinioni assentiatur, qui a majoris potentiae formidine Rempublicam repetunt, ostendere conatur nulla alia ratione id fieri potuisse, atque a rerum indigentia exordiens: *Nil obstitit*, inquit, *quominus & extra civitates locus esset commerciis* (*a*). Nos, qui summo obsequio tenemur in talem virum, tantum dicimus, civitates multo ad commercia esse aptiores. Quod extra civitates etiam negotiationes celebrentur, id nil evincit, ut cum tutius, decentiusque commercia in urbe haberi possint, extra quaeri debeant. Sic pariter, quam idem Heineccius indigentiam in civitate observari testatur, non est rerum ad frugalem vitam necessariarum, sed luxum, mollitiemque foventium: nam si illarum, & longe a civitate invenire copiam datum est, multo magis in illa, cum jam cura, atque industria civium in eo maxime enitatur, nisi potius dominantium incuria id eveniret, tunc enim vitio fieret, ac de rerum vitiis inanis sermo.

 Osten-

(a) J. N. & G. Lib. II. Cap. VII. §. CI.

Ostendi igitur quodammodo posset, rerum indigentia civitates fundatas esse; (cum quod vir summus hic objiciat non tanti sit, ut contrarium nobis suadere possit); dummodo quod diximus firmum habeatur, omnibus nempe unam causam indigentiae exstitisse. Verum ex indigentia non nata est Respublica, neque id eo fuit, quo & ipsa civitas egeret; sed quia non ad unum omnes eadem necessitate, qua ad id astringerentur, premebantur. Sic & de vi potentiorum. Si hujus vis metus ad se consociandas familias adegerit, quod uni imbecilliori videretur, alteri valentiori non item; satius enim duceret, procaci illa frui libertate, quam certis legibus se submittere. Sed, & cum a vi improborum dicitur nata Respublica, facile esset, ut & ab iis, qui vim illam pertimuerunt, credi possit una societas conflata, similiterque ab improbis ipsis hominibus altera. Illi namque trepidantes socios sibi adsciscerent ad malorum vires propulsandas; hi, ejusdem furfuris homines continuo sibi adjungerent, ad tutius aggressiones peragendas. Et quia ex his maleficos primum exstitisse facile est,

maleficorum ita primas ſocietates ortas eſſe oportet, quae ſecundis poſtea occaſionem praebuerint. Cumque una illius rei ratio aſſeritur, ſtatim aeque pollens nobis altera paratur. Sed jam ſatis noſtram ſententiam explanaſſe videmur.

Facile ſic etiam innoteſcit, quaenam potiſſimum civitati ſint curanda. Minime rem tetigere, qui unum ei tribuerunt, civium ſecuritatem: at iſti tenaces cum fuerint propoſiti, tenaciores contendunt; atque in compoſitione, ita in reliquis ratiocinantur. Quem latet, quanta ſit urbium cura in tot, tantiſque pro bono civium referendis? Quae, cum innumera ſint, infinita etiam illarum officia eſſe dicendum. Quod ſi iis, qui contrarium tuentur, a poſteriori argumentari placeret, certe veram cauſam tenerent. Cum enim ſecuritatem, commercia, mores, leges, commoda denique omnia ſpectare viderent civitates, ea omnia ab ipſis curae habenda, ſedulo intelligerent. Multorum igitur aeque utilium diligentia unamquamque civitatem diſtineri, fatendum eſt.

Illa jam peracta, abſolutaque, omnia etiam

iam ad bonum finem exequantur oportet. Neque enim satis est initio bene Rempublicam dispositam habere : diuturna cura opus est, si quod propositum fuit, semper obtinere studemus.

Multae enim Civitates
Etiam bene institutae ad injurias saepe versae sunt (a).

Vetus illud est, omnia ex prima institutione manare. Nos illud non negamus; habemus sane & divini Praeceptoris par judicium de eo in tractatione de Republica, ubi haec habet: Respublica si semel *coeperit bene, progreditur tanquam circulus semper proficiens*. Sed quae temporum, hominumqne libido? Jam non multum ab origine profecta multa mutari comperimus, multa in deteriora saepe converti. Sit licet illud in ploverbium, diligentiam semper homines adhibeant, quam facile est praestare rebus, si tunc illas primum incipere putent, cum ad illas accedunt. Est quippe quisque actus prin-

ci-

(a) Sophocles in Oedip. Colon. v. 1604.

cipium ,. eſt quiſque finis noſtrum (1).

Quod ſupereſt vero multum Civitati negotium faceſſere debet. Nam ſicuti felicioris vitae desiderio familiae convenere, ita rectorem virum ad id obtinendum illas habere oportet, ut quomodo is, qui familiam ducit ad ſua accedit, ita ad alterum politiae onus pervigilem ille ſe praebeat. Neque contra ulla ſpecies Reipublicae adeſſet, imo jam labaſceret, fundituſque penitus deficeret, ſi quod omnes vellent, quodque faciundum putarent per ſe confuſe exequerentur. Modus namque eſſet hic potius diſtrahendae, quam firmandae civitatis (a). Scimus & nos optime, olim viguiſſe Reſpublicas, quando Populus omnia regebat, atque adminiſtrabat. Quid ergo? nonne patet, quanto melius sit laudanda, quam quaerenda Rei-

(a) Judic. Cap. XVII. v. 6.

(1) Res ſubtilioris argumenti ac longioris hic paratur. Sed quae nunc tractari poſſit minime idonea. Neque enim gravius oneratae irent pagellae, neque hic tantus patet locus alienis. Lecturi nunc ipſi ſibi ſatisfaciant; nos alio forſan ad illam acceſſuri.

Reipublicae forma? (a) Quam non vagas, ac discordes novimus perpetuo hominnm voluntates! Quare id eveniret, vel saltem temporis decursu vitari non posset, ut, cum quisque propriam mentem exequi vellet, alter contrarium teneret, omnia quam citissime pessum irent. Necesse igitur visum est, uni demandare hanc summam potestatem, quae, cum non nisi viro virtute praestanti subeunda sit, illum solum, communibus auspicatissimis vocibus, imperatorias habenas moliri, declaratum est.

(a) Tacit. Ann. Lib. IV.

CAPUT IV.

De summa potestate.

Singulis ad superiora ducentibus, breviter quamvis, perspicue tamen perpensis, ad summam potestatem devenimus, quae illa est, qua majorem inter homines neminem putemus: non enim recte ita diceretur, si alterius imperio esset obnoxia. Summa haec potestas necessario in civitate sita sit oportet: res namque publicae, & familiares, ut ordine proficiscantur, illam expostulant. Potest vel in una persona, vel in pluribus, quod eodem recidit, simul consistere: *nam cunctas nationes, & urbes, populus, aut primores, aut singuli regunt* (*a*). Quod, cum tritum admodum sit, frequentia eorum, qui hanc rem tractarunt, ne recantata repetam, lubens praetereo. Regiam hanc potestatem sic, quoties in uno consistit, appellatam alterius pote-sta-

(a) Tac. ibid.

ſtatis patrisfamilias ſimilem eſſe invenimus (a); unde factum eſt, ut *gentilitas* hominum, deorumque patrem Iovem ſalutaret: quod nos divina religione inſtructi, ſummo jure DEO creatori tribuimus (1).

Majorum illa ſententia fuit, ut navis gubernatori regem aſſimilarent. Quod quam conſulto factum ſit, inde notum eſt, ut ambos vigilare, ambos eadem fere de cauſa ſollicitos ſaepe eſſe videamus. Sed recte iſta comparatio: nunc illud perquirimus, quae regia munera ſint, quae regiam majeſtatem firment; firmant autem, quae reipublicae ſatis proſpiciunt. Prudentiſſimus vero animus tenet omnia, & prudentiſſimus tutus eſt. Hoc vero quantum prodit, tunc erit intelligendum, cum animos civium nullo pacto commo-

(a) Vid. Xenoph. Memorabil. Lib. II.

(1) Hinc Rex ſaepe apud Scriptores vocatur ſpirans imago DEI; quod quantum proprie dicatur, norunt omnes, qui Regni ſupra ceteros dominatus ſciunt emolumenta notare. Conſul. Bodin. De Rep. Lib. IV. Cap. V. & Jo: Barclajum in Argen. Lib. I. Tum etiam deſcendit vetus ille mos, a Perſis ad Romanos uſque profectus, praeferendi lampades Regibus. Vid. Herodian. in Commod. & M. Antonin. in vita ſua.

motos ad principis, reique publicae incolumitatem intentos videbimus. At id nullo modo consequi licet, si tantum in legibus pacis inhaereamus. Sunt & quaedam alia, quae antea spectari debent. Nec pax esse potest, nisi modos, quibus pacem comparemus, prius inveniamus. Hosce igitur animo percurramus: hisce plurimum allaboremus, si recte nobis consulere studemus. Princeps vero sui defensor juris, pervigil vias omnes ad regni tuitionem tutiores tenebit, civesque unius arbitrio concreditos, nec ulla in re laesos abire patietur. Jam enim humanitatis leges laederentur, quod Reipublicae incremento multo esset impedimento; & quod bonum animo deferentes, quod malum cives machinarentur! Quomodo namque vel contra agere possent, vel nos ita de illis spetare, dum usu contraria acciperent, acciperent autem a Rege? Tunc jam, quod Plato dixit, rectaque ratio nobis suadet, pessimum suum haberet exitum; tales nempe cives videremus, quales forent Principes in Republica. Cumque ad imitandum exemplar Rex esse debeat, sane male agens, simile velle videretur;

tur; sane & eo res posset adduci, ut, quod uni omnes summum jus concessere, ab injuria vindicarent, ac de propria commoditate, quin vita ipsorum solliciti aliud tenerent. Quod vero teterrimum omnium est, jam a fide populo data Rex ipse desciseeret, quo nil turpius, impudentiusque excogitari potest: nihil est enim, etiam pro Republica si agatur (paucis exceptis) cur a pactis recedatur, cum horum inviolabilis habenda sit fides, unica spes malorum, quae cum abest, & multa societati defutura esse dicendum. Quid boni igitur esset ex Principe malo? At jam alii illam sententiam improbarunt. Saepe & quae minima in aliis videntur, cum a Regibus aguntur longe majora apparent, ac pro eo, quod non est, quandoque etiam sumuntur. Plutarchus elegantissime scripsit, ea esse quasi verrucas, quae turpiores in facie, quam *mutilationes* reliquo in corpore sunt. Qui metu obsequium sibi comparare putant, quod fieri numquam potest, contraria conciliare conantur. A metu odium descendere, aliud (saltem quod memini) nequaquam novi.

Sic

Sic Ennius apud Ciceronem: *Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit periisse expetit* (a). *Et inviso semel Principe, seu bene seu male facta premunt* (b). Una devinciendi sibi animos hominum via est, comitas in rebus. Haec mirum quantum inter homines prosit: est namque homo omnium animalium pacificus, uti ab ejus corporis structura aperte videmus. Esset igitur jam legibus ipsis naturae obsistere, contraria velle. Et qui amant, sibi mutuo satisfacere cupiunt, quia eadem voluntate, animique cupidine aguntur: amans ad usque nefas saepe amantis desiderium sequi vult, quia invicem amantur. Amantium sane in re nostra concinne exemplum esse videmus. Neque considerari debet tunc corporis appetitus, quem nullus inficias ibit, saepe excitari ab urbanitate, crebriusque evanescere si quando homo placet, jucunditas a factis abest. Pulchre igitur erit, si nexus amoris Principes sit inter & subditos. Tali ne-

xu

(a) Off. Lib. II. Cap. VII.
(b) Tac. Hist. Lib. I.

xu diuturniores fiunt Respublicae, Principes tutiores evadunt (1).

Cum vero antea dixerim, facile in necessitate patere subditis aditum ad libertatem, eoque ad omnia sese ferri debere; necesse hic videtur & aliquid amplius superaddere.

Nonnulli quid de eo sentiendum sit, quaeque nostra sententia cogitabunt, an jure id fieri possit? Nos nequaquam reponimus. Quippe cum jam uni quidquid potestatis erat omnes detulerint, se eo ipso naturali omni exui libertate passi sunt. Innumera fluunt ex sacro codice exempla, quae hujus rei veritatem declarant. Cum jam pluries David Saulem in potestate haberet infensissimum hostem, tantum absuit, ut eum laederet, ut etiam vitae ipsius studuerit, & ne ullas illi insidias milites molirentur, caverit. Et cum nuntium de morte Saulis accepisset a viro Amalecita, qui subtractum diadema, quo gratum officium gereret, ei obtulit; eo tactus est dolore, ut san-

(1) *Nullum esse imperium tutum nisi benevolentia munitum*. Nepos in Dione. Vid. Sen. de Clem. Lib. I. Cap. XIX.

ſancto furore flagrans, hominem occidi juſſerit, ſibi numquam perſuadens, potuiſſe Chriſto Domini manus inferre. Illud igitur tenendum, nefas eſſe ſubditos poſſe ſemel conceſſam poteſtatem amplius repetere, ac proinde bello aggredi Imperantes. Neque Trajani dictum in contrarium ducat, qui cum Praefecto pugionem obtuliſſet, *hoc*, inquit, *utere pro me, ſi recte impero: contra me, ſi male:* nam ea, quae privatim ſtatuta ſunt a Regibus, non obligant alios Reges, cum ſaepe nec admodum, nec diu vigeant apud Reges ipſos latores, qui pro neceſſitate ferunt ad certum tempus valitura (1). Sacroſancta igitur omnino Regis perſona habenda eſt,

ᾧτε Ζεὺς κῦδος ἔδωκεν,

Cui Jupiter gloriam dedit (a),

cuique, nec crudeliorem ſi illum experirentur cives, hilum umquam nocere poſſunt; qui

(a) Hom. Iliad. A. v. 279.

(1) Si cui tamen majus eſt deſiderium, abunde eum ſatiare poterunt aeternae *praelectiones* magni Heineccii in tres Grotii Libros de J. B. & P.

qui enim per DEUM vivum regnant, ab ipso tantum poterunt dijudicari, cui soli hanc curam tribuamus oportet. *Esse DEUM solum, in cujus solius potestate sunt, a quo sunt secundi, post quem primi*, de summis potestatibus scripsit Tertullianus (a); & Milevitanus: *super Imperatorem non est nisi solus DEUS, qui fecit Imperatorem* (b). Sicque semper viris probitate gravissimis, quorum perpetuo erunt a nobis summo honore atque observantia colenda praecepta, visum est. *Aequum & iniquum Regis imperium feras*, ait Seneca: & Tacitus: *bonos Imperatores voto expetendos, qualescumque tolerandos* (c); & alibi (hoc vero nimis moderate erit intelligendum) *indigna digna habenda sunt Rex quae facit*; & tandem Augustinus: *Qui Augusto ipse & Neroni, qui Vespasianis vel patri vel filio suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo imperium dedit*. Quare parato animo dicendum, illos a nobis sustinendos esse, ac

(a) In Apologet. Cap. XXX.
(b) Adversf. Parmen. Lib. III.
(c) Histor. Lib. IV. Cap. VIII.

ac magis DEI voluntatem in ipſis agnoſcere, quam, quod minus conveniens eſt, nobis arrogare, deque ipſis luſcos adhuc nos ferre ſententiam. Cum vero diximus, poſſe populum aliter ac ſperabat videntem ad priſtinam libertatem proclamare, non eſt quod aſſeramus jure fieri, ſed quia mali imminentis molimina referre placuit, cum id populus ſaltem mente agitaret, contrariis ſibi effugium eſſe comparandum. Refellatur ergo ſane oportet inſcitia eorum, qui deſipientes nil mirum ajunt ſubditos deficere, ſi ab officio jam primum Rex receſſerit: res enim perpetuo eo redit, ut ad unum DEUM Creatorem pertineat de Regibus cognoſcere; quod pluribus jam dictum eſt.

Minime vero Imperium ita firmatum eſſe putandum, quod nullum remaneat penes cives voluntatis veſtigium; cum potius occaſio illa ſit ea omnia cautius curandi, quorum in ſpe Imperium conſtitutum fuit. Sic enim multi unius voluntati ſubmiſſi ſunt; ſic unus coeterorum Princeps ſalutatus eſt. Et ecce jam pactum in conſtitutione civitatis, ipſumque ad concordiam, rerumque omnium aequalitatem,

uti jam ostendetur, sancitum. Nonne igitur contra jus esset, si quod ab ipso divellitur, ipsique opponitur, ageretur? Nonne tunc pactum primum irritum fieret, quod quatenus vigeat Imperium, dissolvi haud potest? Nonnulli ita civibus nullam injuriam fieri putant, quod sponte in arbitrio unius jam acquieverint, ac proinde omnibus ejus motibus expositos remanere; & nullum ajunt Imperantem contumacem videri, qui si voluntatem suam observari, aut mutari velit, aeque possit. Hoc nos ita credendum linquimus illis, qui tantum dociles se praebent, quantum malum, quod maximum est, non malum esse rentur. Est sane potestas Imperantibus infinita a DEO illis tradita: num ideo abuti poterunt in subditos? Num quoties potestas illa fraenum assumit ignoratur? *Tanto Imperator in subditos potest, quanto & ipse DEO subditus est.* Cum ad cives Principis animus intentus est, libere, uti velit, sane agere potest. Tunc bene agit Imperator. At si quando aliquid in factis ejus latitare videatur, jam statutos fines transiliri, atque injuriam subditis fieri maximam nemo

mo ignorat ; cumque, quod obſervandum mutuo polliciti ſunt , ab uno , cui omnes acquievere , frangeretur , reliqui occaſionem ad ſimilia dari pari jure putarent.

Hic ſilentio praeterire nolo , quod cum ſaepe finis actionis ignoretur a ſubditis , facile eſset, ut graviora imperata viderentur, quodque bona mente factum eſſet , peſſimum ſe praeberet ignorantibus . Hoc quamvis initio aliter appareat , ſtatim pro eo quod eſt tamen declaratur ; cum motus quamvis antea incertiores, boni an mali futuri ſint, ex ipſa communicatione cito percipiantur. Eſt enim ſaepe neceſſe , quandoque etiam utile , ut nulla declaratione eorum , de quibus agere oporteat, Princeps ſe gerat in Republica.

Sed pactum hoc ſociale & illud novi afferre ſolet, ut ſi quae corporis, aut ingenii vires natura diſpares ſint , ita aequiparentur , atque omnes inde aequales habeantur. Aliquando, quamvis & pactum hocce vigeat, tamen & diſcordes res civium eſſe videntur, & ipſos magis langueſcere in ſocietate, quam ſi eſſent in ſtatu naturae. De qua re quid

ſentiendum ſit, inutile puto fore aliquid ſuperaddere, cum & recentiores Scriptores omnibus hujus rei partibus omnino ſatisfecerint. Non ab re tantum eſſe putamus, eximii cujuſdam Auctoris ſententiam explanare de dotibus ac bonis, quae accedunt tum menti, cum corpori illorum, qui a naturali ſtatu in civitatem commigrant. Auctor tunc primum juſtitiam factis hominum aſcribit, tunc *moralitatem* ex humanis actionibus derivat, & tunc tandem, quod jus phyſico appetitui ſuccedens, hominibus antehac ſibi foede miniſtrantibus, legem impoſuerit, agnoſcit. Quae ſententia, quamvis perſpicua ſit, & omnibus placere debeat, noviſſimo tamen Scriptori non omnino arriſit; verborum namque accurate interpres aſſurgens, illud ſibi argumentum fingit, quod ſi nulla actionum *moralitas*, ulla nec aequi veſtigia, vel certa hominis jura fuerint ante ſocietatis conventionem, pactum illud poſtea nullis vadibus munitum, irritum ſucceſſerit. Auctor in omnibus arctiorem viam philoſophandi ſibi proponit, & omnibus forſan ipſae verborum argutiae placent; ſed in re hujuſmodi nimium cogitationes acuere, parum tu-

to differere videretur. Quod homines priusquam in societates convenissent nulla bona, cum ad mores, cum ad corpus pertinentia, cognita habuerint, uti ab Auctore *Contractus Socialis* dictum est; id credi potest pari judicio, quo illud pronuntiatum videmus; cum homines tunc ita videantur, ut a propria sede remoti, salutem numquam assequantur. Sed imbecillitatis tantae illos redarguere, ut firmare, vel nosse nequeant quidquid postea facturi sint, id plurimum nobis impudentiae habere videtur. Nos scimus quid homo sit, quidque facere oporteat ex ipsa natura scimus. Et si Auctor iis verbis usus est; jam ad diversam status hominis fortunam colorandam uti non poterat aptioribus.

Hactenus de modis summis rebus debitis, nempe muneribus gerundis. Munus autem maximum regium est, unde cetera ad nos descendunt, sive officia, sive honores & dignitates. Quare & omnibus iis videntur ea esse communia, qui aliquem locum tenent in societate: neque enim aliter differunt inter se, nisi majori,

vel minori officio : quod enim ad rationem ſpectat, una ſemper eſt . Proficiſcamur nunc ad reliqua.

Nemo unus eſt , qui non videt , quanta ratione civitas etiam dicatur bene recta multorum familia : eſt enim idem illis commune propoſitum , eſt una ſocietas. Sua ſic principatus natura , omnium rerum ſibi curam Regem aſſumere oportet ; earum praecipue , quae peculiari jure ſibi deberi videntur , ut imperare , judicare , remque divinam tueri . Quoad duo priora , nihil eſt ut dicatur, per ſe namque intelliguntur ; de tertio aliquantulum differere juvat.

Sed hic ſermo brevis eſt ; nam & candide loquimur , nec inanes captamus ſermocinationes . Satis erit dixiſſe , de Rege loqui , ut ejus jura ab omnibus aperte intelligantur . Rex enim eſt Imperator , ergo & in rebus agendis auctoritate utitur . Imperium ita conſideratum dividi poteſt in illud , quod aliquod faciendum proponit , aut non faciendum cavet . Prima ſpecies pertinet ad ea , quae bona ſunt , qua vero mala , ad alteram referuntur . Sic Princeps in neceſſitate eſt ea omnia curandi , quae bonam

ſpem

ſpem pollicentur. Nonne & Religio bonum eſt, nonne & illam tueri oportebit? Regi plurimum poſſe tribuamus; Regi divinarum cura debenda erit: admodum illam ad felicitatem conferre videmus. Videmus autem in hoc FERDINANDI beatiſſimi REGIS Regno, quid Reipublicae poſſit tranquillitas cum religionis incolumitate. Sunt enim inter ſe haec ita annexae, ut nullo modo, una avulſa, altera ſuſtineri poſſit. Si ad priora tempora reſpicimus, aliquid amplius credere oportet. Videtur namque Sacerdotale munus unum, idemque cum Regia dignitate ſeſe habuiſſe. Et ut a Sacris Tabulis exordium ſumam, quae hujuſce rei prima mentio fit in illis, illa eſt Melchiſedechi. Hunc & Regem & Sacerdotem fuiſſe accepimus: *Melchiſedech Rex Salem, Sacerdos DEI Summi (a)*. Certum enim eſt, functum eſſe & regio munere, cum Rex fuerit urbis Salem in terra Chanaan, & ſacerdotali etiam egregie dignitate; quoties ex iiſdem codicibus appareat, quod occurrens Abrahamo victori, bene dixe-

(a) Gen. Cap. XIV. v. 18.

rit illi, & ex Abrahami oblatis, decumas inde DEO obtulerit. Nulli dubium igitur, quin ita illa tempestate obtinuerit. Sed, quod olim ita fuerit, hodie prodesse non sequitur: & si in reliquis haec parum tuta, vel praeceps videretur argumentatio, in his sane maximam vim consequitur. Multisque in illis abstinens meditationibus suffundendis, unum dico, quod tunc Christi Domini figura per ipsum Sacerdotem sit enunciata, qui probitate & sanctitate morum Regnum aedificabat, sacro numquam, quantum poterat, officio desistens. At jam ultra hujus rei virorum abiere investigationes, quibus id moris Ebraicae primis Reipublicae temporibus assignarunt: ut Petrus Cunaeus, qui illud agit, illis Exodi verbis innixus, *Vos eritis mihi Regnum Sacerdotale, & gens sancta*, (a). Quid vero hoc loco sit regnum sacerdotale, quidve pro eo intelligendum, totus in illis acquiescam, quae hac de re a Joh. Nicolao scripta sunt (b).

Haec

(a) Ex. Cap. XIX. v. 6.

(b) In *Annotationibus* ad ejusdem *Cunaei* Librum De Rep. Hebrae. Lib. I. Cap. XIV. (10).

Haec quamvis ad unius, alteriusque officii jura copulanda numquam satis habuerim; tamen & affinitatem quamdam inter ipsa patefacere, certum, indubitatumque est. Sunt enim quae mutuo connectuntur, cum easdem, quas imperii vices Religionem pati videamus. Prisca primis danda temporibus, numquam nostris erunt confundenda; quia aspernari sic esset quanta ab illis ad nos distantia intercedit, quanta tunc fuerit necessitas, quanta sit hodie apud nos. De utroque munere in uno viro, nascentis Reipublicae temporibus mentio cum fiat, haud nos commovere debet, cum Reges tot patresfamilias imitati, sacra sibi munera adsciverint. Sic videmus & Aristotelem ajentem: στρατηγος γαρ ην και δικαςης ὁ βασιλευς, και των προς τοις θεοις κυριος: *Rex enim erat Imperator, & judex, rerumque divinarum dominus atque arbiter* (a). Idem legimus apud Mantuanum: *Rex Anius, rex idem hominum, Phoebique Sacerdos* (a).

Et procul dubio tunc ita in usu fuit,

ut

(a) Arist. de Rep. Lib. III. Cap. XIV.
(a) AEn. Lib. III. v. 80.

ut solus Rex pontificia jura sustineret, sacris ipse omnibus praeesset. Aegyptii id moris habuere, ut neminem sine sacerdotio Regem salutarent. Quinimo si ex alio genere quispiam vi regnum usurpasset, cogebatur post regni assumptionem sacris initiari, ut Rex denique esset & Sacerdos (b). Quod diu multum postea factitatum est, donec remotis Regibus in nonnullis Graeciae locis, Reges Sacrorum facti sunt, qui *βασιλεῖς ἱερῶν* appellabantur. Romani similiter, exactis Regibus, illos habuere, quos *Reges Sacrificulos* appellabant, una eis relicta potestate sacrificandi, deque sacris decernendi (1). Sic clarius videndi rationem nobis anteacta patefaciunt; sic quantum illud aeque sit conveniens intelligitur, ut duo munera illa sejuncta nunc habeantur. Sejuncta sane habeantur, sed unum ut alterius opituletur negotiis, alterius ut sistat, si fuerint, calamitatibus. Sic, & quae sacra agit po-

(b) Plato de Regno Lib. XVI.

(1) Horum primus fuit *Manius Papyrius* ex patriciorum ordine creatus. Vide *Joseph. Laurentium in Sacris Gentil.* Cap. I.

potestas, eaque Reipublicae tranquillitati prodesse videntur, moderanda, tollendave cum sint, a Rege etiam pernosci, nil mali est. Necesse enim videtur, ut, quod vires publicas commovere, aut compescere possit, publice examinetur. Sed & jam per se ipsi Principes Sacerdotii cultores existunt, jam & illud oneris quam pie sibi adjunxerunt. Religio antem Sacerdotium non est, Sacerdotium ipsa componit, & una & alterum sacram potestatem constituunt. Quid vero non praestat Religio? Flectit animos, mulcet, serenat; furiosam reprimit cupidinem, audaciamque refrenat. Religionis adminicula sacra sunt, quibus illa munitur, nos illam colimus: utque religio Imperantis principalis cura esse debet, cui omnia, politiam quae decent, debentur; sic pariter illum sacra munera, quae viam ad religionem sternunt, sequi oportebit (1). Plurimum nos tribuimus harmoniae, quae mundi anima dicitur,

qua-

(1) Quantum Sacrorum cura, ac Religio Reges olim occuparit, ex una *Alexandri* historia abunde intelligi potest. Vide *Joh. Bapt. Crophii Antiq. Maced.* Cap. XIX.

quaque justiores res omnes evadere videmus. Sed hoc numquam consequemur, nisi cum civitas sui similis dignoscatur. Similem vero tunc statum civilem sibi futurum esse, cum omnia consona vadunt, certo scimus. Quod tunc evenire fatendum, cum unius status, una quae sit arbitra omnium voluntas, eadem & gravioribus negotiis obsequi videatur.

At Sacerdotii defensores non pauci exstitere, qui nimium sacrae potestati tribuentes, quod regium proprium esse videbatur, illi concedebant, tantamque sibi acquirere injuriam non dubitabant. Neque enim quod similia officia sint illa, poterit, quod alterius est, alterum usurpare. Ea enim, sacra scilicet potestas, ejusmodi esse debet, ut ad humana, seu potius, civilia numquam accedat: Quod Regiae potestati latius patere videtur. Rex enim sapiens firmat religionem; qui, ut illius curae particeps fiat, ex dictis admodum necesse videtur. Ratio autem quam facillima est: Sacerdotale munus, cum Religionis cultum spectet, illud nil opus habet Regiae potostatis. Regia potestas Rempublicam cu-

rat,

rat, hominum facta coercet, maleficia scrutatur. Multa autem malefacta & ex falso Religionis principio saepe descendere videmus. Religio factorum impressionem in Imperio relinquit. Imperium, praeter tuitionem, nil aliud praestare potest sacerdotio. Ergo & Sacerdotium non Imperium affectare debet, suo tantum munere utatur, & superioribus nunc posthabitis, quae nostris diebus convenientia sunt, sequatur praecepta.

Ne vero quis sibi persuadeat, me ea prae manibus habere velle, quae jam a sexcentis ad trutinam sunt revocata, & a paucis feliciter. Quisnam enim dicere potest pro Imperio sine *Ecclesiasticorum* fere omnium indignatione, aut pro Sacerdotio sine offensione jurium Majestatis? Et tamen sufficeret loqui de Imperio, ut eodem tempore de Sacerdotio sermo haberetur justus & conveniens.

Diu quaesitum est, an possit Sacerdotium in sacris aeque & in civilibus Imperium exercere? Id unum scio, Christum Jesum, cuidam suum arbitrium in re civili efflagitanti, respondisse: *Quis me constituit judicem, aut divisorem*

su-

ſuper vos ? (a) & *Apoſtolos* allocutus : *Reges gentium dominantur eorum .. Vos autem non ſic (b)* . Nec illud quaero , an jure poſſit utraque poteſtas , Caeſarea nempe , & Sacerdotii altera ab alterutra geri . Hoc non mei penſi eſt : cum illud tantum mihi propoſuerim, quoties Regia poteſtas ſacra relevat munera , aut ea ad priſtinum revocans , quae longa intercapedine annorum jam obſoleta jacent , aut ad ea remedium porrigens, quae ſuperſtitionem redolere videntur , jure meritiſſimo fieri tunc oſtendere . Nec me fugit Sacram poteſtatem illud recte facere : *admonere , hortari , conſolari , deprecari , docere , praedicare ſacramenta adminiſtrare , cum charitate arguere , increpare , obſecrare , certiſſimis DEI promiſſis ſpem in DEO augere , ac tandem gravioribus ſcripturarum comminationibus a vitiis deterrere* : praeterea nihil . Notum eſt Chriſtum Dominum numquam ſe appellaſſe Regem Mundi hujus , quinimo ſubjectum ſe , ſuoſque civili poteſtati exhibuiſse , qua cauſa ſolvit drachmam pro ſe

& Pe-

(a) Luc. Cap. XII. v.14.
(b) Luc. Cap.XXII. v. 25. & ſeq.

& Petro. Sed ad alia descendamus. Cum Apostolus ait: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (a) non excepit hunc, aut illum; non de unius status hominibus loquutus est, sed de omnibus, cujuscumque gradus, cujusviscumque conditionis, cum dixerit *omnis anima*, quod sui ipsius exemplo confirmavit, Caesaris Tribunali se committens. Jam vero alienam Provinciam attingimus, & vela hic contrahamus necesse est.

Nil igitur admirationis inest in eo, quod Rex sacram *οικονομιαν* saepe suscipiat, curetve. Neque expavescere debent nonnulli, qui, quasi novus ordo rerum praeceps excurrat, clamitant ac perstrepunt non aliter ac fatui, sic ut de illis recte dici posset, *non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant* (b). Sed jam inanis lex esset, & nulla disciplina prodesset, si, sejuncta cum sint ac dissimilia munera illa, haud sibi mutuo succursum velint, nec propria facta pernoscant. Diversa sunt inter se; finis cujusque illud docet; sed co-

(a) Paul. ad Rom. Cap. XIII. v. 1.
(b) Paul. I. ad Timoth. v. 7.

eorum actiones amborum limites pertranseunt. amborum regiones percurrunt. Non ideo quodcumque volet alterutra potestas agere potest. Sacra, quae sacra sunt administret, quae divina censentur pernoscat; potest illud quidem. Regia, eadem tueatur, ab omni vitio illa arceat, illud aeque potest. Nexus quidam sunt natura haec inter officia, qui si laxentur, & colligata quae sunt ab eis, jam jam periclitari, quodque bonum inde est, omne etiam labascere sequeretur. Qui vero sint nexus illi, quid bonum hocce, Viri Politici illud sibi perquirent. Nos quantum opus erat exposuimus.

Pontifices Praesules constitutos esse in cura animarum, nullus tam vecors post hominum memoriam exstitit, qui non fateretur: tale imperium a DEO illis datum est, a Christo Domino confirmatum. Hocce munus nos colimus, hoc maxime veneramur. At quod civilem tumultum sapit, quod alienum est ab eo, regnum alterum constituit, diversum obtinet imperium. Videant igitur Pontifices, seduloque caveant, ne laxentur homines in corruptela re-

rum

rum ; neve per mala , ac nocitura abeant loca , armisque illis utantur , quibus uti fas est , quae scilicet poenam desuper impiis , patientiam miseris , veritatem incredulis , omnibusque digna & convenientia saluti , Christi ipsius vitae imitatione pie proponunt . *Leges autem , poenas , judicia , coërcitiones , sententias, & cetera hujusmodi , quae transgressoribus infligi debent , Caesarum esse & Regum & aliarum Potestatum .*

F I N I S.

INDEX.

Numerus Romanus Caput; posterior paginam denotat: ubi vero solus occurret Arabicus, una vel altera Prologi pagina significabitur.

A

C

E

F

H

I

L

M

N

O

P

R

Ma-

Ta-

T

V

QUAE VITARI MENDA NON POTUERUNT, SIC REPONE.

p.13.v.4.n.2. lasciventis	lascivientis
14. v.ult. nascentes	nascentia
23. v.6. *abrutescere*	*obbrutescere*
25. v.10. quorum	de quibus
48. v.10. sentiit	sensit
55. v.5. intendit	intendat
v.7. videmus	videamus
57. v.21. costituant	constituant
63. v.3. not. incuria	incuriae
66. v.3. Ζοων	Ζωον
67. v.2. Peaeclari	Praeclari
67. not. (a) Cap. VII.	Cap. VI.

Magnificus D. Dominicus Mangieri in hac Regia ſtudiorum Univerſitate Profeſſor revideat autographum enunciati Operis, cui ſe ſubſcribat, ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium Ordinum, & in ſcriptis referat. Datum Neapoli die 6. menſis Novemb. 1780.

MATTHÆUS JAN. ARCH. CARTH. C. M.

S. R. M.

JUſſu tuo, Optime Princeps, ſedulo & adcurate perlegi Opuſculum, quod inſcribitur, *Antonii Coriolani de Rerumpub. nexibus Meditationes*, continetque quaedam de Jure Naturali & Publico juvenilis ingenii ſpecimina haud contemnenda. Cum in eo nihil deprehenderim, quod vel minimum Jura Majeſtatis Tuae imminuat, publicis typis edi poſſe cenſeo. Dat. Neap. VII. Kal. Dec. CIↃIↃCCLXXX.

Addictiſſimus, &c.
DOMINICUS MANGIERI.

Die 10. *menſis Januarii* 1781. *Neap.*

Viſo Reſcripto ſua Regalis Majeſtatis ſub die 30. *menſis Octobris prateriti anni* 1780, *ac relatione Magnifici D. Dominici Mangieri, de commiſſione Reverendiſſimi Regii Cappellani Majoris, ordine prafata Regalis Majeſtatis. Regalis Camera Sancta Clara providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma praſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reviſoris. Verum non publicetur niſi per ipſum Reviſorem facta iterum reviſione affirmetur, quod concordat ſerva-*

ta

ta forma Regalium Ordinum, ac etiam in publicatione servetur Regia Pragmatica, hoc suum.

PATRITIUS AVENA

Vidit Fiscus R. C.

Illustris Marchio Citus Præf. R. C., & cæteri Ill. Aulæ Præf. tempore subscriptionis impediti.

Reg.

CARULLI ATHANASIUS.

Rev. Dom. D. Richardus Minutulus S. Th. Professor revideat & in scriptis referat. Die 12. *Septembris* 1780.

JOSEPH ROSSI CAN. DEP.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

QUod in Dissertatione *De Rerumpublicarum nexibus* continetur, Imperio tuo, Domine, attente legi, perlegique. Cum vero nil in hac offenderim, quo sive Fides, sive Ethica Christiana, aut Religio Catholica ulla in re vel leviter imminuatur, magno propterea eruditorum Reipublicae usui fore animitus existimo, si typicis formis publicè excudatur; modo accedat sacrum placitum Excellentiæ Tuæ, quam demisso capite veneror.

Da-

Datum ex Ædibus Ss. Severini, & Sossii de Neapoli XIII. Kalendas Octobris Anno Æræ Christianæ 1780.

Humillimus ac addictiss. servus
Riccardus Capycius Minutulus Cassinensis.

Attenta relatione Domini Revisoris, imprimatur. Die 30. *Aprilis* 1781.

Joseph Rossi Can. Dep.